Infelix homo, qui ſcit omnia, te autem Domine neſcit! Idem, lib. 5. Confeſſ. c. 9.

Quid eſt hoc? ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum noſtris doctrinis demergimur in profundum. Idem, lib. 8. Confeſſ. c. 8.

Id, quod ſcire dicimus, nihil aliud eſt, quam ratione habere perceptum. Lib. 1. de lib. arb. c. 4.

Scientia eſt, cum res aliqua firma ratione percepta & cognita eſt. Id. de quantit. animæ c. 26.

Tanto magis poteris, Deo adjuvante, proficere, quanto ſtudioſius cœperis ſanctorum Patrum dicta requirere, & inventa frequentius atque attentius recenſere. Idem, Epiſt. ad Donatum Tribunum.

Cum aliquid ſcire volumus, abſit pervicacia contendendi, adſit diligentia requirendi, humilitas petendi, perſeverantia pulſandi. Idem, l. 4. de Geneſi.

Non parva ſcientia eſt ſcienti conjungi, ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Idem, in Pſ. 36. Serm. 2.

Non eſt erubeſcendum homini confiteri ſe neſcire quod neſcit, ne dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur. Idem, Epiſt. 157. ad Optatum.

Scientiam cœleſtium, terrenarumque rerum magni exiſtimare ſolet genus humanum, in quo profecto meliores ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos. Idem, in Prolog. lib. 4. de Trinit.

Sic adhibeatur ſcientia tanquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia deſtruetur. Idem, Epiſtol. 119.

Ipſa ſcientia punitur conſcientia; ſic ergo diſcite ut faciatis. Idem, Serm. 145. de Reſurrect. Domini.

Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem. Idem, Serm. 53. de verb. Domini.

Scientia, ſi ſola ſit, inflat. Idem, ibidem.

Non eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc comprehendatur, ut agatur. Idem, lib. de varia innoc. c. 24.

Inutiliter meditatur legem Dei, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet. Id. ibid.

Qui didicerunt a Domino, eſſe humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo. Idem, Epiſt. ad Paulinum.

Primus diſcendi ardor, nobilitas magiſtri. Ambroſ. lib. 2 de virg.

Tunc ſcientia magna eſt, ſi charitate humilietur, ut amplius creſcat: temperatur enim a dilectione, ut non ſatis mera ſit, ut ſi inebriet ſcientem, & ſe extollat. Idem, in primam ad Cor. c. 8.

Scientiarum ardor nulla prorſus ætate extinguitur, imo ipſe magis ætate inflammatur; Hieronymus Epiſt. ad Demetriadem.

Quidam non quærunt in lectione ea, unde a virtutem erudiantur, ſed ea, unde ſingulariter eruditi videantur; atque ita immoderatis auſibus ſcientiam, quo plus appetunt, plus amittunt. Gregor. l. 20. Moral. c. 8.

Perfecta ſcientia eſt ſcire omnia, & tamen ſe eſſe ſcientem neſcire. Idem, in cap. 37. Jobi.

Qui ſe putat aliquid ſcire, nondum cognovit, qualiter oporteat eum ſcire. Idem, lib. 27. Moral.

Non eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc cognoſcatur, ut agatur. S. Proſper, in Pſalm. 118.

Plerique accepta ſcientia litterarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur, dum de ipſa extolluntur, & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. Iſidorus, lib. 3. de ſummo bono.

Ad majoris culpæ cumulum pertinet, ſcire quemquam quod ſequi debeat, & ſequi nolle quod ſciat. Idem, ibidem.

Quanto majora ſunt litteraturæ ſtudia, tanto animus arrogantiæ faſtu, & inflatu majore intumeſcit jactantiæ. Idem, ibidem.

Scientia eſt Deum noſcere, & virtutem colere; in illo ſapientia, in hoc juſtitia continetur. Lactantius, l. 6. c. 5.

Quis ſcire contentus eſt, non expectans aliquem fructum ſcientiæ? Idem, l. 3. divin. inſtit.

Illud quidem inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter mundana bona primum locum tenere. Gregor. Nazianz. orat. 31. in laudem Baſilii.

Utile eſt multa ſcire & recte vivere. Quod ſi utrumque non valemus, melius eſt, ut bene vivendi ſtudium, quam multa ſciendi ſequamur. Iſidorus, Sentent. l. 2. c. 1.

Qui ſeipſum non docuit, alium docere non poteſt. Origenes, Homil. 38. ſuper Levit.

Præcedit ſcientia virtutis cultum; quia nemo poteſt appetere quod ignorat, & malum, niſi cognitum ſit, non timetur. S. Chryſologus.

Dicere & non facere, non ſolum lucri nihil, ſed damni plurimum confert; grandis enim condemnatio eſt componenti quidem ſermonem ſuum, vitam vero ſuam atque operam negligenti. Chryſoſtom. lib. de compunct. cordis.

Totius prudentiæ compendium in litteris continetur; ſi reſpublica regenda eſt, ſi prælia committenda ſunt &c. libri hæc omnia erudiunt ad perfectum. Salvianus in Epiſt.

In litteris prudens invenit, unde ſapientior fiat ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur, nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non auget glorioſa notitia. Idem, ibidem.

Nihil aliud ſcientia noſtra quam culpa, qui ad hoc tantummodo legem novimus, ut majore offenſione peccemus, quia quod lectione & corde novimus, libidine & deſpectione calcamus. Idem.

Noſter hic peculiariter reatus eſt, qui legem divinam legimus, & ſemper violamus, qui Deum noſſe nos dicimus, & juſſa illius & præſcripta calcamus. Idem.

O quam velox eſt ſermo ſapientiæ, ubi Deus magiſter eſt, cito diſcitur quod docetur. S. Leo, Serm. 3. Pentec.

Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit. Idem, Epiſt. 87.

Curioſitas eſt ſtudium perſcrutandi ea, quæ ſcire nullo eſt utilitatis. Anſelm. lib. ſimilit. cap. 26.

Fruſtra in nobis divinæ cognitionis abundantia creſcit, niſi in nobis divinæ dilectionis flammam augeſcat. Hugo de vanit. mundi.

Scientia jucundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præſtat conſolationem. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſcientiæ nomine iſtic intelligatur.

SCientiæ nomen iſthic non uſurpatur in ſenſu, quo a philoſophis adhibetur pro certa, atque evidenti cognitione naturalium effectuum per cauſas, vel cauſarum per effectus. Sed intelligimus earum rerum cognitionem, quas Chriſtianus ſcire, & exercere tenetur, ut obeat munera ſtatus, ac religionis ſuæ, ut perveniat ad finem, qui æterna eſt ipſius beatitudo. Hæc autem cognitio ſapientia vocatur, cum eſt earum veritatum, quas a primis, ſupremiſque cauſis accepimus; & ſcientia vocatur, cum acquiritur ex ſecundis, & naturalibus cauſis argumenta ducendo; & hujuſmodi cognitionum ſtudio, vel experientia quæſitarum ſupellex hominem proprie doctum conſtituit. Denique prudentia vocatur, cum dux eſt actionum noſtrarum, ac vitæ, moribuſque noſtris regundis inſervit. Hæc omnia complectimur ſub ſcientiæ nomine, quamvis in hoc dumtaxat tertio ſenſu in chriſtiano ſermone ſit intelligenda.

Quid ſit ſtudium ac virtus ſtudioſitatis.

Studium, quod via eſt neceſſaria, & communis ad ſcientiam acquirendam, neque enim de illa ſermo eſt, quam divinitus Sancti quidam obtinuere, fortis eſt, conſtans, & attenta applicatio, qua homo iis vacat cogitationibus, quæ illum formare poſſunt, atque officiis ſtatus ſui obeundis parem efficere. Applicatio hæc oriri debet non ſolum ex naturali cupiditate ſciendi, quam omnis habet homo; ſed ex libero, laudabili, honeſtoque deſiderio ſe erudiendi de iis omnibus, quæ neceſſaria ſunt, ut vir bonus fiat, & fideliter ſua munera adimpleat. Verum cum cupiditas eſt immoderata, & eſſe queat; & nimia ſtudendi ſedulitas, ut doctior evadas, eſſe poſſit nimis jugis, aut vehemens, immo ab aliis etiam officiis te avertere valeat, moralis tradit virtutem, quæ *ſtudioſitas* dicitur, & quam S. Thomas 2. 2. quæſt. 166. artic. 2. ſubjicit temperantiæ, ſeu quod proſcribit curioſitatem ſciendi ea, quæ ſunt inutilia, ſeu quod nimis violentum diſcendi, ſciendique appetitum moderatur. Operæ tamen pretium eſt animadvertere, quamvis proprius hujus virtutis effectus eſſe videatur potius ad ſtudium excitare, & inflammare, quam ſtudiendi cupiditatem compeſcere, vel regere attentionem in ſtudio adhibendam, cum plures ſint, qui ſatis non ſtudent, nimium ſtudentibus: uterque tamen effectus ad hanc virtutem pertinere dicendus eſt: ſed cum magis liqueat, vitium eſſe non ſtudere cum ſtudendum eſt, quam nimis ſtudio vacare, ſtudioſitatis virtus rationabilem, atque chriſtianum hominem utrobique regere debet.

Undenam oriatur periculum nimis ſtudendi, licet to labo. con...

Quæri poteſt, undenam oriatur periculum nimis ſtudendi, cum ſtudio plerumque tantus labor accedat: at cauſa eſt vehementia cupiditatis ſciendi, quæ efficit, ut omnes ſuperentur difficultates, quæ in ſcientiæ acquiſitione inveniuntur, tunc potiſſimum, cum inde aliquis ſperatur honor, aut voluptas, aut utilitas non ſpernenda. Unde liquet, ad hoc ut *ſtudioſitas* ſtudii exceſſum corrigat, ſciendum eſſet, quid mali inveniri poſſit in fine, qui ſtudiis proponitur.

...is quem ...i proponere debet ſtudens, & mali fines evitādi.

Ut chriſtiane ſtudeas, ſtudium nequaquam tibi ſpectandum eſt veluti indifferens quædam occupatio, ſed velut actio maximi momenti, quæ prout bene, vel perperam fiat, plurimum ad ſalutem, interitumve tuum poſſit conferre. Ideo hac in re illud præ cæteris obſervandum occurrit, ut ſtudiis tuis optimum finem proponas. Particulares fines, qui haberi poſſunt in hac exercitatione, qua potior vitæ pars occupatur, varii ſunt pro varietate ſingulorum, qui ſcientiæ acquirendæ adjiciunt animum. Quorum cum alii boni ſint, alii mali, ita ſtudium vel ſanctum, vel nefarium efficiunt. Boni porro fines, quos omnes ſibi ſingillatim proponere debent, ut laudem conſequantur, hi ferme ſunt. 1. Dei gloria; quamvis enim hæc ratio communis eſſe, ac in omnibus actionibus noſtris locum habere debeat, ambigi nequit, quo minus ſcientia prorſus peculiaris ſit ratio majorem Dei gloriam quærendi. 2. Fructus, quem a ſcientia percipere poſſumus ad virtutem per ſublimes eas cognitiones, quas ejuſdem adminiculo acquirimus de magnitudine Dei, de creaturarum nihilo, & de eo, quod neceſſarium eſt, ut chriſtiana vita ducatur. 3. Utilitas proximi, quem hac ope erudire de officiis ipſius, cui conſilia ſuppeditare, & ad bonum virtutemque acquirendam calcar addere, faceſque ſubjicere poſſamus. Quod ſpectat ad peculiares fines, quos quilibet habere poteſt, niſi ad hos referantur, labor, qui in ſtudiis impenditur, coram Deo nullius eſt meriti, & ſi mali ſunt, ſtudium, ſcientiamque ipſam in perniciem convertunt.

Ut certo ſciamus bonum eſſe ſtudiorū noſtrorum finem, iis vacare ſtudiis debemus, quorum ope muneris noſtri officia facilius obeamus.

Ut bonum in ſtudiis noſtris finem habeamus, pro Deo inſtituenda ſunt, eidem inſerviendi cupiditas nos ad ſtudendum impellere, & voluntas illius ſtudia noſtra debet moderari; ita ut ſi laboris ſuſcepti non aliud principium eſt, quam curioſitas, vanitas, vel alia quælibet inanis cauſa, Deo acceptum eſſe, & nobis ad virtutem comparandam conferre minime poſſit. Quamobrem ut certi ſimus Deo inſerviendi deſiderium eſſe finem ſtudiorum noſtrorum, illa nobis eligenda ſunt, quibus uti ad munera noſtra obeunda valeamus: ſi enim inutilibus tantum rebus addiſcendi impendimus operam, patet nos neque Dei voluntate, neque eidem placendi deſiderio agi ad ſtudendum. Quæ tamen regula non eſt eo uſque exaggeranda, ut religioni, & crimini vertamus ea omnia ſtudia, quæ directe ad vitæ noſtræ munera, & ad Deo illo ſerviendum in ſtatu, ad quem vocati ſumus, nequaquam referuntur. Nam dummodo tantum impendamus temporis, quantum opus eſt, ut ea, quæ opus ſunt, addiſcamus, reliqui nobis aliqua conceditur copia, dummodo eo non abutamur; & modus non abutendi eodem eſt, ſtudium referre ad aliquod, quod per ſe utile ſit, & nobis prodeſſe poſſit, veluti ad hiſtoriam diſcendam, ad bene dicendi artem percipiendam; hæ quippe generales ſunt facultates, quæ particulari muneri noſtro nequaquam adverſantur.

Non ſemper noxia voluptas eſt ex ſtudiis voluptatem percipere.

Putandum non eſt, malum eſſe ex ſtudiis ſuis voluptatem percipere, neque ex illis quodammodo mentis ſolatium petere, ſi enim ſtudia, quibus oblectamur, inter officia noſtra recenſentur, hæc oblectatio eſt, quam Deus noſtræ infirmitati concedit; & hac utamur opus eſt, ut in dies magis progrediamur; cum certe liqueat, ſtudia, quæ cum voluptate ſuſcipiuntur, memoriæ altius inhærere, quam illa, quibus nonniſi ægre, & inviti vacamus. Quod ſpectat ad illa, quæ meri ſolatii ſunt, hæc legitima eſſe poſſunt eo modo, quo ſolatia legitima fiunt: hoc eſt ad mentem ſeriis fatigatam ſtudiis ſubinde reficiendam, ad eadem majori alacritate inſtauranda, & ſpiritum occupandum, ubi aliis rebus vacare non poſſit. Neque ſemper pernicioſum eſt aliquam ſibi animi laxationem permittere; certum quippe eſt in ſtudiis aliquando magis progredi, qui per intervalla quieſcit, quam qui diuturna laboris aſſiduitate mentem fatigat, & torquet.

Studia officiis ſuis ſunt accommodāda.

Studia ſecundum noſtra officia a quolibet inſtituenda ſunt; & niſi aliud munus habeamus, quam ſtudium, omnia collimare debent ad finem, quem ipſi nobis propoſuimus, tamquam nobis maxime congruum. Verum conſiderandum eſt nobis duplex eſſe officiorum genus; ideoque nobis duplex finium genus eſſe proponendum; alterum quidem particulare, quod a pluribus pendet circumſtantiis, & quod variare poteſt pro varietate eorum, qui ſtudiis operam navant; alterum vero generale, & commune omnibus, quod eſt animæ ſuæ eam eſcam præbere, quæ neceſſaria eſt, ut in via Dei ſubſiſtere valeat.

Scientia pluribus modis abuti poſſumus.

Reliquæ ſcientiæ tempus habent ſuum; eaſque relinquere fas eſt, cum ex illis tantum didiciſti quantum opus erat. Sed Ethicæ chriſtianæ ſtudium nunquam relinquendum eſt; cum ipſa vita producendum eſt, quin unquam dicere fas ſit, ſatis te didiciſſe, edoctumque fuiſſe; neque enim ſatis eſt has veritates theoretice callere, ſed animo noſtro ſemper præſentes eſſe debent, tunc cum exercendæ ſunt, ac in praxim redigendæ.

Scientia, & veritatis cognitio per ſe bona eſt; hoc tamen non prohibet, quominus per appetitus depravationem eadem poſſis abuti; nihil enim ita ſanctum eſt, quo abuti nequeat depravata voluntas. Ita Philoſophiæ ſtudium bonum eſt, & laude dignum; ſed quoniam aliqui eodem ad fidem impugnandam abutuntur, nos monet Apoſtolus, ut caveamus, ne quis doctrinis novis, ac philoſophicis ſophiſmatibus nos in errorem inducat. S. Thomas 2. 2. quæſt. 167. art. 1. autem docet, ſcientia, & cognitionibus ſex modis per vitioſam curioſitatem abuti nos poſſe. 1. Cum alicujus veritatis ſcientia, vel cognitio non quæritur, niſi ut gloriam aucuperis, & intumeſcas. 2. Cum hac uteris cognitione ad peccandum. 3. Cum ex Dæmone, ac per noxias magiæ vias ſcientia perquiritur. 4. Cum rerum, quæ vel neceſſariæ, vel utiles ſunt, ſtudium, & cognitio requiritur, ut rebus nullius utilitatis opera navetur. 5. Cum perceptarum veritatum cognitio ad extremum finem non redigitur. 6. Cum ea quærimus, & ſcire conamur, quæ noſtram intelligendi vim ſuperant, & excedunt.

Modi reprimendi inanē curioſitatem, cum de ſcientia agitur.

Ratio cohibendi ſpiritum curioſitatis in ſcientiis, cui indulgere eſt maxime periculoſum, hæc eſt, 1. ſcire nolle ea, quæ ſupra nos ſunt, & quorum cognitionem Deus nobis negavit: ſed noſmet coarctare in cognitione earum rerum, de quibus nos erudiri vel juſſit, vel patitur. 2. Non ſinere, ut nobis immoderatus ſciendi dominetur ardor, qui ſæpe efficit, ut cætera negligamus. 3. Studio operam dare propter Deum, & ut mandatis illius obtemperemus. 4. Mandata hæc ad unguem adimplere, ſeu propter tempus ſtudio impendendum, ſeu propter cognitiones, ad quas acquirendas debemus contendere, ſeu propter ſcientiæ uſum, qui a nobis faciendus eſt.

Neceſſe eſt bene eligere ſtudii genus, cui vacemus.

Cum fieri nequeat, ut omnia ſciamus, ac plurima ſint, quorum cognitio vel inutilis eſt, vel etiam pernicioſa; jubet prudentia, neceſſaria reliquis anteferri, utiliora minus utilibus, & ab iis prorſus abſtineri, quæ majorem perniciem, quam fructum, allatura videntur. Hic in electione habenda inſtituendus eſt ordo; ſed maximum malum eſt, plurimorumque malorum cauſa, quod plerique oppoſitum faciunt, majorique ſtudio ſuam explere curioſitatem, quam propriam perſequi utilitatem contendunt. Profecto ſi non omnia ciborum genera indiſcriminatim ſumuntur, & ſedulo illi omnes evitantur, qui nocere poſſunt: ſi in agris non omnia ſeminum genera, ſed utilia tantum ſeruntur, quæ diligentia adhibenda in iis rebus eſt, quæ ſunt mentis noſtræ alimenta, & ſemina cogitationum noſtrarum? Ea enim, quæ hodie promiſcue condiſcimus, ubi occaſio feret, excitabuntur, ac ſuppeditabunt ne opinantibus quidem cogitationes, quæ cauſa erunt ſalutis noſtræ, vel reprobationis.

De earum rerum ignorātia, quas ſcire tenemur.

Cum Theologis notandum eſt, duplex eſſe genus ignorantiæ; quarum altera invicta eſt, quæ excuſat a crimine, oritur enim potius a noſtræ mentis imbecillitate, quam a voluntatis nequitia; altera vero nefaria eſt, quæ item in tria diſpeſcitur genera, videlicet in craſſam, adfectatam, & pravam. Ignorantia craſſa eorum eſt, S. Bernardus ait, qui inutilium rerum ſtudio operam navant, interim negligentes rerum earum cognitionem, quæ omnino ſunt neceſſariæ, ut muneribus ſuis rite perſungantur: *Multi ſcienda neſciunt, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſideria, aut verecundia inquirendi*, Pater hic ait. Ignorantia hæc indirecte voluntaria eſt, inquit Theologia, quatenus homo ſtudere detrectat, neque ſuperare vult difficultatem, quam invenit in earum rerum cognitione, quæ ſibi ſunt neceſſariæ ut ſua munera adimpleat; vel quatenus relinquere non vult operam, quam inutilibus, vaniſque rebus impendit, quod idem eſt, ac chriſtiani hominis officia velle ignorare. Id ignorantiæ genus reprobationis charactere notatur; quoniam Deus per os Prophetæ

Oſeæ

Oſeæ c. 4. profitetur, eum, qui ſcientiam repulerit, a Deo iri repulſum: *Quia repuliſti ſcientiam, repellam te*; non ſecus ac per os S. Pauli dicentis, eum, qui ignoraverit, iri ignoratum: *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. Hic ſtatus eſt plerorumque fidelium nunquam fere id ſcire quærentium, quod ſcire debent.

Docti cavere debent, ne illos inflet ſcientia.

Omnes aſceticæ vitæ magiſtri eos, qui ſcientiæ vacant acquirendæ, cujus indigent, ut ſua adimpleant officia, ſuoque munere perfungantur, etiam atque etiam monitos volunt, ut contra ſubtile ſuperbiæ virus, a quo docti viri ſumma cum difficultate ſe ipſos præſervant, & quod Patres interiori comparant vermi ſpecioſiſſimos fructus corrumpenti; ſibi quam diligentiſſime caveant. Fulgidiora quælibet officia abſcondito hoc inſecta veneno coram Deo nil aliud ſunt, quam abominatio: & miniſtros doctos quidem, ſed vanos, atque ſuperbos JESUS CHRISTUS ſimile putat dæmoni, qui licet invitus divinitati ejus teſtimonium perhibebat, & cui ſilentium induxit.

Oratio præſtantiſſimus modus eſt proficiendi in ſtudio, ſed utrumque conjungendū eſt.

Sanctorum omnium ſententia eſt, orationem plurimum poſſe ad eas acquirendas ſcientias, quæ nobis ſunt neceſſarie; & S. Auguſtinus, qui duos hoſce tradit modos ad ſcientiam perveniendi, ſtudium videlicet, & orationem, non metuit affirmare, longe majorem orationi vim ineſſe, quam ſtudio: verum ne putes orationem ſolam per ſe ſatis eſſe: ſtudium ſimul, & oratio conſocianda ſunt, atque veritas hæc bene intelligenda eſt ad utrumque extremum vitioſum evitandum. Non deſunt, qui nimis in ſtudio confidunt, & negligunt orationem; & ſunt, qui orationi penitus vacant, ſtudium vero omnino relinquunt. Priores illi vocandi ſunt docti ſuperbi, poſteriores vero aſcetici inſani, qui eo quod Deus hanc gratiam aliquibus ſanctis viris conceſſit, quorum opera ad gloriam ſuam uti, eoſque ſine ſtudio doctos efficere voluit, cujuſmodi fuere Apoſtoli, aliique nonnulli ſanctitate præſtantes viri, ſperant ſibi a Deo gratiam eamdem large, effuſeque conceſſum iri, quin attendant, idem eſſe ac tentare Deum, naturalia, & communia relinquere ſubſidia, & ſupernaturalia, ac ſine ulla neceſſitate miracula præſtolari. Ut igitur Deo inſervire valeamus in ſtatu, ac munere noſtro, Deus petit a nobis, ut ſæpe ipſius imploremus opem, & interim nihil intentatum relinquamus, quo minus pro virili, ac ſerio ſtudiis vacemus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Unde oriatur naturale, quod omnibus, ineſt, ſciendi deſiderium.

OMnes homines, Philoſophus inquit, natura ſua ſcire deſiderant, & hoc ſtudium a duobus oppoſitis oriri principiis reor, & effectum eſſe cujuſdam commixtionis luminis ſimul, & tenebrarum, quem in mentibus noſtris habemus. Cum altera quidem ex parte intellectus noſtri divinis manibus efformati fuerint, ac Deus illis intelligentiæ ſuæ radium, tamquam primum imaginis ſuæ characterem, communicaverit; illis aliquod ſemper remanet ſemen, & aliquis primorum eorum luminum ſenſus, qui per lutum, ac limum, quo involuti quodammodo ſunt, rationem noſtram ſollicitat, ut naturali hac utatur face, ejuſque fulgorem novis cognitionibus augeat, ut nos principio noſtro magis ſimiles faciat. Verum quia in ordine naturæ educti fuimus ex tenebri nihil, & huic addidimus nihilum morale peccati, omnes in ignorantiæ tenebris naſcimur, quam nobiſcum gerimus, tamquam nihili noſtri reliquias, & quam patimur tamquam pœnam ſcelerum noſtrorum. Quamobrem ſpiritus noſtri ſecretos exerunt conatus, ut huic ſuppleant defectui; paulatim hanc auferant cæcitatem, & haſce tenebras diſſipent. *Biroat in ſecundo ſermone Adventus.*

Quo præſtantiores in ſe ipſis ſunt res, eo majori earum cognoſcendarū deſiderio tenemur.

Quamvis mentes noſtræ imitentur oculos, qui in ea intenduntur omnia, quæ ſeſe illis repræſentant; experientia tamen docemur, in id potiſſimum incumbere, ut cognoſcant objecta, quæ ipſis præſtantiora videntur, & quæ non vulgarem in ſe habent perfectionem. Hæc curioſitate acti ſcrutamur, ut detegamus ſecreta, quæ continent, & quæ curis, ſtudiiſque noſtris digna cenſemus. Sed frequentius illic noſtram requirimus gloriam, cognoſcimus enim mentium noſtrarum perfectionem conſiſtere in perfectione, & præſtantia rerum earum; quæ cognoſcuntur, & quo hæc ampliora, ſublimiora, & præſtantiora ſunt, eo magis ornare, & commendare hanc noſtram metipſorum partem, quæ nos a reliquis creatis rebus diſtinguit. Ideo majori afficimur voluptate ex ſtudio ſcientiarum, quæ nobilius habent objectum, cujuſmodi ſunt motus cœlorum, res divinæ, ordo naturæ, & id genus alia, quorum cauſas, & effectus exploratos habere ſumma curioſitate contendimus. *Idem.*

Sciendi deſiderium ſolum homini ingenitum eſt, ſed majorem vim habet, quam omnes aliæ cupiditates.

Sciendi deſiderium hominis ingenitum eſt, & ſi minus illius eſt propugnaculum, ſaltem præcipua eſt inter proprietates illius. Bruta alios habent affectus cum nobis communes; quædam movet ambitio, & gloria, quædam invidia, zelotypia, & ultio; omnia deſiderium vitæ, quam ſummis viribus tueri, & ſervare conantur: ſed ſciendi cupiditas hominum propria eſt, qui nihil intentatum relinquunt, ut ſuam expleant curioſitatem. Terræ viſcera aperiunt, ut illius ſecreta inveſtigent, metalla conflant, ut eorum detegant eſſentiam, in maris abyſſos deſcendunt, ut illius explorent portenta, cumque cœlum penetrare nequeant, illuc tamen feruntur animo, ut ſyderum diſtantiam metiantur, ut eorum ſitum, influxus, & quidquid in ignotis, & inacceſſis regionibus illis agatur, intelligant. Hæc autem cupiditas mirum in modum percrebuit propter auctoritatem, ac famam, quam ſibi in terris comparavit; nihil enim majori habetur in honore, quam ſcientia. Maximæ quælibet dignitates fere ſemper doctioribus viris collatæ fuerunt, eo uſque ut extruerentur ædes, & dicarentur aræ eorum memoriæ, qui primi artes excogitarunt, atque perfecerunt ſcientias; ita promiſſio, quantumvis fallax, quam dæmon primo homini obtrudere conatus eſt, ad illum ſeducendum perſuadens futurum, ut ſcientia illum Deum efficeret, quodammodo fuerit adimpleta per eorum ſimplicitatem, qui doctos homines venerati ſunt. Mirum ergo eſſe non debet, ſi ambitio, & honoris cupiditas cum naturali curioſitate conjuncta ſciendi cupiditatem efficiant ardentiorem. *P. Senault in homine peccatore ſermone 9.*

Scientiæ acquirendæ difficultas deſiderium imminuit, & in pleriſque mortalibus prorſus extinguit.

Quamquam ſciendi cupiditas noſtram excitat curioſitatem, & ipſa ignorantia, qua obruti ſumus, nos impellit ad oblectationem aliquam in rerum mundi hujus cognitione quærendam, nec non ad aliquod ſolatium petendum ex perquiſitione ſecretorum naturæ; attamen difficultates, quæ ſcientiis inhærent, hoc in nobis deſiderium imminuunt, earumque ſuperandarum deſperatio pleroſque deterret homines, ne adeo ſalebroſum, arduumque ſtadium ingrediantur: ideoque malunt in ſua verſari ignorantia, quam illinc emergere conſtanti, aſſiduoque ſtudio, quod diuturno temporis ſpatio adhibendum eſt: neque animum appellere poſſunt ad ejus boni acquiſitionem, in quo labor gloriam excedit, & præmium labori impar eſſe videtur. *Idem in ſermone octavo.*

Scientia bonum eſt, quod homines nobis eripere nequeunt, ſed quod nos beatos non facit.

Scientia bonum quidem eſt, quod nobis eripi nequit. Tyranni, qui vitam auferunt, ſcientiam auferre non poſſunt; & calumnia, quæ nomini noſtro labem offundere poteſt, nequit cognitionibus noſtris effundere tenebras. Hoſtibus invitis docti ſumus; opes iſtæ pretioſæ nobiſcum in captivitatem feruntur, exultant, neque nos in ipſa morte deſtituunt. Eas gerimus, quocumque proficiſcimur, & fortuna, quæ victoribus honorem, & voluptuoſis aufert voluptates, doctis doctrinam præripere nequit. Verum quantumvis hoc præ aliis præſtet bonis, hominis felicitatem conſtituere non poteſt, neque illi veram oblectationem afferre, quia nunquam deeſt aliqua ignorantiæ commixtio, quia lumina illius ſemper confuſa ſunt, quia majorem habet dubitationem, quam certitudinem, ac plures errores, quam veritates; & præterea ſæpe nobis inutiliſſima eſt, & fere etiam noxia: niſi enim fuerit cum humilitate conjuncta, quod raro accidit, nos inflat; cumque alioquin non ſine ſummis laboribus comparetur, cum Sapiente fateri debemus, hanc peſſimam eſſe occupationem, quam dedit Deus hominibus, ut illos puniret. *Idem in uſu paſſionum, ſermone altero de malo uſu voluntatis.*

Præſtantia ſcientiæ & voluptas, quæ inde percipitur.

Sciendi deſiderium, quod nobis ingenitum eſt, convaleſcit adhuc propter exercitationis hujus dignitatem, & ſuavitatem, quæ illic reperitur; re enim vera vix fingi poteſt occupatio homine dignior, quam ſeſe totum impendere perficiendæ parti illi, quam in ſe habet nobiliſſimam, rationem videlicet, quæ in dies augetur, ac nova recipit lumina ex cognitionibus, quas illi ſcientiæ ſuppeditant. Voluptates vero, quæ illic guſtantur, tantæ ſunt, adeoque ſolidæ, & conſtantes, ut philoſophus quidam dixerit, ſe intelligere non poſſe, citra ſtudium aliquid in vita ſuave, & jucundum hominibus eſſe. Hæc affe-

ctio ſuapte natura ſatis potens novas adhuc vires acquirit per amorem propriæ dignitatis, quæ in nos miram obtinet poteſtatem. Conſtat enim, ſcientiam viam eſſe inter cæteras brevem, tutamque ad inſignem honoris gradum aſſequendum; & ſicuti amor, quo omnes homines dignitates appetunt, in eorum corde radices jecit, omnes fere ſumma cum aviditate hanc amplectuntur, per quam ſe ambitionem ſuam ſperant expleturos. Præſertim vero prætexunt pietatem, proximi utilitatem, & fructus, quos aliis ex ipſorum ſtudiis, laboribuſque percipere poſſunt; quoniam hoc generale bonum eſt ab omnibus hominibus perquirendum. Hinc accidit, quod ſæpe ſub publicæ utilitatis prætextu particularibus velificamur affectibus, nobiſmet perſuadentes, propter Deum mere fieri a nobis, quod propter nos, & turpes, indignaſque nobiſmet ipſis conſiderationes perficimus. *Grapatenſis in Tractatu de oratione, & meditatione.*

Variæ cauſæ, propter quas homines ſtudiis ſe ſe abdunt.

Plures ſunt cauſæ, S. Bernardus ait, quibus homines ad ſcientiam acquirendam ducuntur. Alii ſcire cupiunt hoc uno conſilio, ut ſciant, & hæc non probanda curioſitas eſt; alii, ut nominis famam aucupentur, & hæc inſana eſt vanitas; alii, ut ſcientiam ſuam vendant, ac per illam opes, & honores acquirant, & hoc eſt turpe commercium. Non deſunt e contra, qui ſcire velint, ut proximum ædificent, & hæc charitas eſt, & alii, ut in pietate, aliiſque virtutibus proficiant, quæ eſt vera prudentia. Quicumque ſcire cupiunt, aliquem ex his finibus habere poſſunt; ſed in hoc noſmet ipſos fallimus, non dignoſcentes perſpicue quænam ſit ratio vera, quæ nos ad ſtudendum impellat. Sed ex omnibus illis, qui ita ſtudiis, & ſcientiarum acquiſitioni operam navant, poſteriores dumtaxat duo non abutuntur iis cogitationibus, quas adipiſcuntur, quia nonniſi, ut Deo ſerviant, illas acquirunt. *Idem.*

Moderata in ſtudiis induſtria, & ſcientiarum cupiditas laude digna eſt, cum ordinem ſervat.

Si immodica ſtudendi cupiditas vituperanda eſt, fatendum ſane eſt, ubi ratio eam moderetur, nec non eorum imperia, qui in nos habent auctoritatem, regant illam, tantum abeſſe, quod ſit vitium, aut tentatio, ut potius ſit virtus, & exercitium laude dignum, & utile cuicumque mortalium generi, præſertim vero adoleſcentibus, quoniam hoc pacto tempus ſuum rebus ſeriis impendunt, evitant otium vitiorum omnium originem, & adoleſcentiæ ſcopulum periculoſiſſimum. Seſe a ſexcentis aliis cupiditatibus liberant, ac ſibi eam doctrinam comparant; qua aliis & ſibi poſſunt prodeſſe. *Idem.*

Tenemur acquirere ſcientiam, quæ neceſſariā eſt, ut ſtatus noſtri officiis perfungamur.

Hoc ſaluberrimum eſt conſilium, quod illis tribui poſſit, qui ardenter ſtudere deſiderant, ut cogantur ſcientiarum acquiſitioni vacare propter proximi utilitatem, ut nunquam avertant oculos a proprio profectu, licet inde minor proximo ceſſura utilitas eſſet: quippe lex charitatis nequaquam jubet, nos ita alienæ ſtudere utilitati, ut propriæ meminerimus. Ulterius procedo, & facile probare poſſem, ſi id capiatur conſilii, tantum abeſſe, quod proximus illinc aliquod detrimenti patiatur, ut e contra ſummum illi bonum cedat: unica enim, ac vera alios ad perfectionem adducendi via eſt, ante cætera propriæ perfectioni ſtudere. Ita ſane; ad animas lucrandas, eaſque ad Deum convertendas bona eorum, qui erudiunt, & docent, vita majorem vim habet, quam omnis ſcientia, & deſertiſſimus quilibet ſermo. *Idem.*

Non ſemper legitima eſt coram Deo excuſatio ignorantiam prætexere, qua ea, quæ nobis facienda erant, minime explorata habebamus. E contra vero craſſa hæc, in qua ſumus, ignorantia earum rerum, quæ ſtatus noſtri ſunt propriæ, eique neceſſariæ, nos efficit nocentiores; etenim præter generales cognitiones, quas a nobis Chriſtiani nomen exquirit, nonne in civili vita quædam ſunt profeſſiones, quæ luminibus indigent, ſine quibus ſalutem ſuam operari impoſſibile eſt? Es promus condus theſaurorum eccleſiæ; ubi tibi lubet, aperis, & claudis ſacros rivulos, qui humanæ redemptionis continent pretium: ſcientiam non habes adeo periculoſæ diſpenſationi neceſſariam; indiſcriminatim in veros, falſoſque pœnitentes JESU CHRISTI cruorem effundis; vel te ſtatui tuo parem præbe, vel relinque munus Angelis ipſis metuendum. Tu es regiæ auctoritatis ſequeſter, ac fati populorum arbiter; minima verba, quæ excidunt tibi in terribili conſtituto tribunali, ubi de hominum bonis, honore, & vita judicas, ubi ſemel locutus fueris, irreparabiles gignunt effectus: & ſi hanc provinciam ingreſſus es, quin haberes ſcientias, quæ omnino ad illam recte procurandam ſunt neceſſariæ; ſi putas bonum hunc, quem te habere ſenſum aſſeris, locum habere poſſe perfectiſſimæ juris prudentiæ, quæ tibi neceſſaria eſt, nullus eſt prætextus, qui conſcientiam tuam valeat confirmare eo in ſtatu, in quo vix fieri poteſt, ut non ſis aliquando injuſtus, quin eſſe velis, & ſcias; ſcientia enim non eſt minus neceſſaria, quam virtus ut digne obire poſſis ſocietatis æque, ac religionis officia. *Specimen panegyricorum tom. I. in paneg. S. Thomæ Aquinatis.*

Plerorumque fidelium negligentia in diſcendis iis, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Æque noxia, ac frequens eſt plerorumque fidelium ignorantia, qui fere nunquam ſtudent, & qui perfunctorie tantum ea diſcunt, quæ vel ad ſalutem conſequendam, vel ad munera obeunda neceſſaria ſunt. Quid prodeſt illis eſſe in ſchola ſapientiæ Dei ſi documentis illius aures obſtruunt, & ſerie doctrinæ illius excipiendæ minime vacant? Cum dolore dicere poſſumus, quod olim S. Gregorius Nyſſenus dicebat, ex omnibus mundi artibus nullam oſcitantius diſci, nullamque magis ignorari, quam artem bene vivendi. Et profecto eorum pleriſque, qui ſcientiam jactitant, & omnigenæ eruditionis famam aucupantur, nonne id exprobrari poſſet, quod olim S. Paulinus exculto neſcio cui literatoque viro, ſed in iis, quæ ad ſalutem pertinent, rudi objecit; *Floribus poetarum ſpiras; fontibus oratorum inundas.* Ex poetarum operibus flores collegiſti, ex oratoribus ſuadam exprompſiſti, in philoſophorum ſcientia conſultiſſimus es, ac plurimos perpeſſus es labores, ut humanas ſcientias acquireres; ſed eas neglexiſti, quæ tibi ſunt magis ad ſalutem neceſſariæ. *P. Texier, ſerm. 8. Adventus.*

Iis rebus ſtudendum eſt, quas a nobis cognoſci vult Deus.

Non deſunt quædam, quæ a nobis ſciri vult Deus, at hæc illa ſunt, quæ ignorare adfectamus; alia ſunt, quorum cognitionem nobis Deus abſcondere voluit, & hæc ipſi ſcrutari contendimus. Sapiens hanc nobis aperit veritatem, cum ait Eccl. 8.: *in ſuperfluis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus.* Hæc egregia eſt regula ad ea diſtinguenda, quæ nobis percipienda ſunt, ab illis, pro quorum cognitione nobis laborandum non eſt. Noſtrum igitur eſt ad examen ea vocare, quorum cognitio ſtatui noſtro eſt neceſſaria: ea videlicet, quæ a nobis cognoſci vult Deus & in quibus cum fructu noſtram exercere poſſumus curioſitatem: nam pergit Sapiens: *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Qui ne ipſa quidem religionis novit rudimenta, vane tempus ſuum terit in earum rerum perquiſitione, quas vel tenere, vel neſcire nihil intereſt. Nonnunquam etiam mens humana repletur fallacibus opinionibus, incertis conjecturis, argumentationibus in officina patris mendacii conflatis: quod Eccleſiaſticus deplorat, cum addit: *Multos ſupplantavit ſuſpicio illorum; & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Quonam pacto inhiberi poteſt hic ſpiritus curioſitatis, quo decipi adeo facile eſt? Hoc videlicet, ne quæramus ea, quæ ſupra nos ſunt poſita; ut noſmet contineamus in earum rerum cognitione, de quibus nos erudiri jubet Deus; ne cupiditate omnia ſciendi nos trahi patiamur; ut propter Dei gloriam ſtudiis operam demus; ut ad unguem Dei præcepta ſequamur ſeu quoad tempus ſtudiis impendendum, ſeu quoad ea, quorum cognitio a nobis perquirenda eſt, ſeu denique quoad uſum ſcientiæ noſtræ faciendum. *Lambert in ſermonibus de vita eccleſiaſtica, ſermone undecimo.*

Studium hoc animo ſuſpeptum, ut eccleſiaſticum ſtatum amplectaris, ſanctum eſſe poteſt, & vituperabile.

Aliud eſt ſtudere, ut eccleſiaſticarum dignitatum officiis perfungamur, cum ad illas legitime evocamur; aliud eſt ſtudere, ut ad eccleſiaſticas dignitates aditum nobis referemus. Primum illud eſt in ordine Dei. Dignitatum eccleſiaſticarum pondus cognoſcitur, metuitur, formidatur, effugitur; ſed ſolum præſto ſumus, ut obediamus Deo, ſtatim ac ſuam nobis voluntatem aperuerit. Nos eccleſiaſticarum dignitatum fulgor non perſtringit; laborem quærimus, non gradum. Alterum vero e contra plenum eſt ſpiritu ſuperbiæ; veniunt, ut ſerviant JESU CHRISTO eo ſpiritu, qui omnino oppoſitus eſt ſpiritui JESU CHRISTI; magni eſſe volunt, & JESUS CHRISTUS profitetur parvulos tantum, & humiles a ſe amari, in pretio haberi, & in cœlo magnos eſſe. Attolli cupiunt, & JESUS CRISTUS abjectionem jubet amari. Id quærunt, quod Sancti fugerunt; neque deterrentur eo, quod Sanctis omnibus viſum eſt pondus humanas vires exſuperans. Nunquid magis damnabilis concipi temeritas poteſt? *Idem.*

De ſtudio vanitatis ergo ſuſcepto.

Quod plurimi faciunt, ut ſeipſos attollant, & ad dignitates perveniant, alii faciunt, ut gloriam acquirent, & nominis celebritatem conſequantur. Volunt in mundo æſtimari, niteſcere, ex turba emergere, ideo-

ideoque plurimos perferunt labores, ut in ſcientiis proficiant; conſtat enim doctos viros præ aliis majori illic haberi in pretio. Velle in mundo æſtimari deſiderium eſt in homine chriſtiano improbandum, in eccleſiaſtico vero, qui propter characterem ſuum JESU CHRISTI ſpiritum propius ſequi tenetur, longe damnabilius eſt; ſed deſiderium ab hominibus æſtimandi cum JESU CHRISTI diſciplina poteſtne conciliari? *Idem.*

Vides homines, qui ſeſe deſtinant eccleſiæ, ſed qui ſciendi deſiderio flagrantes ſemper diſcere volunt, quin alicui ea, quæ ſciunt, velint communicare. Veras habent cognitiones, ſed earum neminem participem faciunt. Avari ſibimet ſervant, quidquid poſſident, & comparatas opes imminui putant, ſi has aliis communicent. Eruditiſſimi, ſi ita eos dicere mavis, ſed eccleſiæ inutiliſſimi; eccleſia enim quamvis plurimos habeat id genus doctiſſimos viros, ſi oppugnata fuerit, nullum habebit propugnatorem. Parvuli petent panem, nec erit, qui hunc illis frangat. *Idem.*

Eccleſiaſticus in ſtudiis publicam utilitatem privatæ oblectationi præferre debet.

Eccleſiaſticus in ſtudiis ingenium ſuum ſequi non debet, ſed quam diligentiſſime explorare, quid proximo proſit. Jucundius vobis eſſet, non diffiteor, rebus aliis vacare; ibi majorem, quam in ſanctorum librorum lectione oblectationem invenietis; ſed hæ prophanæ ſcientiæ veſtrum diſſipabunt ſpiritum, nihil inde haurietis, quod veſtram foveat pietatem, neque illam populi, quem ædificare veſtrum eſt; cum e contra ſanctorum librorum lectio vos repleret præceptis ad ſtatum veſtrum ſpectantibus; uberem vobis ſuppeditaret materiam, qua populo chriſtianarum virtutum praxin tradere poſſetis. Nunquid vel deliberandi locus eſt? quin immo nonne præ omnibus ſtudiis illud præferre debetis, ex quo majorem fructum recipere poteſtis, & quod vos aptiores efficiet officiis ſtatus veſtri rite obeundis? Altius menti veſtræ hæc veritas hæreat, vos eum ſtatum amplecti, qui exigit, ne ſitis amplius veſtri, ſed proximi, atque hinc facile cognoſcetis, ſtudiorum veſtrorum hunc finem eſſe debere, illos ædificare, quemadmodum in uſu ſcientiæ veſtræ vobis adlaborandum eſt, ut illos ædificetis. *Idem.*

Vix fieri poteſt, quod Eccleſiaſticus ſcientia carens, & ſtudium non amans bene vivat.

Cum infirmitas noſtra non ſinat, tempus omne in oratione, & precum exercitatione traduci; niſi eccleſiaſticus ſtudium amat, neque ſe parem præbeat, qui proximo proſit ſcientiis, & cognitionibus, quas adeptus non eſt, quanam in re ille tempus impendere debet? Status ejus non patitur, aliquam artem ab ipſo excoli, labor manuum illi vetitus quidem non eſt, ſed fidei conſonum non eſt, ipſum illi vacare unice, ut otium evitet. Ita videmus, eccleſiaſticum ſtudio, & ſcientia carentem hominem eſſe qui vitam ducit ſtatui ſuo parum conformem, qui ultro, citroque recipit, redditque inutiles viſitationes, qui voluptariis cœtibus intereſt, qui frequens adeſt in mundanis ſocietatibus, qui ſeſe negotiis immiſcet, & quæ de novo accidunt, ſumma curioſitate perquirit. Eſto quidem flagitioſam vitam horreat, & ab omni ſcelere immunis ſit. Nunquid hoc eſt officium miniſtri Domini, quem alit eccleſia, ut habeat, qui in gravibus neceſſitatibus ſibi opituletur? *Idem.*

Neceſſe eſt iis non deterreri difficultatibus, quæ occurrunt in ſtudio, ſi ei deſtinamur muneri, in quo ſcientia, & doctrina omnino ſunt neceſſariæ. Ab hoc tamen plerique varios afferentes prætextus ſeſe diſpenſare contendunt. Hic ait, ſtudii aſſiduitatem ſuæ valetudini obfuturam; ille ingenue fatetur, ſe nequaquam natum eſſe ſcientiis addiſcendis, in quibus plurimum quidem laboris perferret, nullum vero fructum perciperet, cum nullum habeat pro ſtudiis ingenium, nullamque erga litteras propenſionem; alius tandem dicit, ſe ſibi vim inferre non poſſe, atque hanc exercitationem nimiam attentionem, & aſſiduitatem expoſcere. At ſi verum fateri volunt, ratio vera ea eſt, quam poſtremo memoravimus; illos libertatem amare, & nullo modo ſibi crucem figere, laboribuſque exercere velle; plurima enim fiunt, quæ multo magis valetudini officere poſſunt; & illis, qui credunt ſe laborando nihil aſſecuturus eſſe, reſpondere ſatis eſt, fieri nequaquam poſſe, ut conſtanter certum ſtudiis tempus impendentes ſatis magnum non referant fructum, ut officiis ſuis rite obeundis pares evadant; illi vero, qui nullum habent ingenium, nullam propenſionem, nullamque ſcientiis aptitudinem, religioni ſibi vertere debent, ſi illud arripiant munus, vel ſtatum, ubi ſcientia omnino neceſſaria eſt, ut perfungantur iis officiis, quæ eidem prorſus inhærent; quandoquidem certum eſt, ipſos ſalutem ſuam in diſcrimen adducere. *Idem ex parte.*

Vita, quæ in jugi, aſſiduoque ſtudio tranſigitur, moleſta eſt, & gravis.

Neque putes vitam hominis ſtudio mancipari facilem eſſe; qui hoc ſerio experientur, invenient e contra, vitam ſtudio prorſus addictam moleſtiſſimum eſſe vivendi genus, & aliam quamlibet moleſtam non eſſe quatenus ad hanc propius accedit. Et ratio conſtat; nihil enim eſt naturæ magis contrarium, uniformitas, & requies, quia nulla res magis locum nobis præbet, ut nobiſcum ſimus. Mutatio, exterioreſque applicationes nos extra nos rapiunt, nobiſque ſolatium afferunt efficientes, ut noſtrummet ipſorum obliviſcamur. Denique hic mortuorum ſermo ſemper mortuus eſt, nihilque in eo acriter amorem proprium, noſtraſque excitant cupiditates. Omni caret actione, motuque; languidas dumtaxat ingerit nobis ideas rerum earum, de quibus ſermo eſt; quia non accedit vocis tonus, geſtus, oris, corporiſque habitus, & alia, quæ mirum in modum proſunt ad hoc, ut vivæ fiant imagines, quæ per hominum converſationem in nos ingrediuntur. Quamobrem facilius vita activa, & tumultuoſa perferetur, quam tranquilla, ac ſtudio intra privati cubiculi parietes abdita. Facilius eſt, ac naturæ magis conſentaneum militiam ſequi, mercaturam exercere, mari iter inſtituere, vitam in diſcrimen adducere, quam in ordinata ſolitudine vitam quietam traducere. Ubi ergo hoc vitæ genus delectum eſt, ſimul & hoc eſt capiendum conſilii, ut omnis languor, & inertia propulſetur; etenim amor proprius, qui cogi non patitur, hinc ſibi reſarciri cupit, quod inde deperit; cumque nequeat ea frui agitatione, quæ majorem oblectationem afferret, vult tamen frui laboris immunitate. *Eſſais de Morale.*

Non ſatis eſt eccleſiaſtico doctum eſſe, niſi ſermone aliis ſuam ſcientiã cõmunicet,

Eccleſiaſtico, qui ſe Deo inſerviendo devovit, parum eſt doctum, & laboris amatorem eſſe, niſi extrinſecus ſuam producat ſcientiam, eaque bene utatur. Si enim olim ſacerdotum labia ſervabant ſcientiam, veluti depoſitum ſibi a Domino creditum, hodie illam tenentur depromere, ac effundere tanquam bonum, quod omnibus populis debent. Tunc veritas exiguum dumtaxat terræ angulum habuiſſe videtur; nondum lata fuerat lex, ut toti mundo prædicaretur; ideoque illi ſecretorum divinorum ſequeſtres non indigebant dono verbi, & ſermonis ut illam annuntiarent. Hodie vero, cum totus terrarum orbis ad illam pertineat, ac altiſſimi numinis miniſtri jubeantur docere, & illuminare eos, quos Deus illis regundos commiſit, dimidium tantum eorum habent, quæ ipſis ſunt neceſſaria, ſi ſcientiam tantummodo, & cognitionem habeant ſine verbo. Pares non ſunt, qui perfecte ſerviant eccleſiæ, vel dignitati, ac miniſterio Apoſtolorum ejus ſuccedant, niſi Dei dona recipiant, qualia Apoſtolis collata ſunt; & niſi Spiritus ſanctus, qui deſcendit ſuper illos, ut eos omnem doceret veritatem, ſimul illis linguarum conferat donum, ut alios erudiant. *In vita Cardinalis de Berules, tom. 3. cap. 12.*

Scientia prodeſſe poteſt ad majorem ſanctitatem, & perfectionem acquirendam

Omnia ſpiritus lumina cor noſtrum perficere debent, & quo magis illuminati ſumus, eo magis ſancti eſſe debemus, & Deus plura ab illis petet, qui plura acceperunt. Hinc fit, quod fideles, quibus Deus omnes evangelicas veritates revelavit, procul dubio Judæis eſſe debent perfectiores, quibus Deus non niſi in ænigmate, ac per figuras locutus eſt: & inter Chriſtianos illi quibus Deus uberius ſcientiæ ſuæ theſauros effundit, quibus clariores præbet divinarum ſuarum perfectionum ideas, quibus apertius religionis myſteria manifeſtat; hi, inquam, Deum impenſius amare, eique accuratius inſervire debent, quo melius ad id ſe teneri cognoſcunt, cumque ultro oculos claudunt, ne videant cœlum, quo illuminantur, quo plus luminis habent, eo fiunt nocentiores. *Specimen panegyricorum, panegyrico S. Auguſtini.*

Varia ignorantiæ genera, quorum alia a peccato excuſant, alia non item.

Non deſunt, qui ſcire nolunt, quid ſibi faciendum, rati minori ſe pœna mulctandos, ſi ignoraverint bonum, quod faciendum ſibi fuiſſet: ſed hic error eſt, & gravis illuſio: plurimum enim diſcriminis intercedit inter eos, qui ſimpliciter ſua ignorant officia, & eos qui illa ignorare volunt. Qui illa cognoſcere conatur, nec poteſt, ſimplicem habet ignorantiam; qui vero rejecit occaſiones de illis erudiendi, qui illa ſcire formidat, qui obſtruit aures, ne veritatis vocem audiat, teſtatur contemptum contumelioſius voluntatis Domini ſui, atque nequiorem ſuæ ſalutis negligentiam, non admodum ſcire laborans, utrum vita, quam ſequitur, illuc adducat, an potius abducat. Ita prava hæc affectio, quæ efficit, ut cæci iſti voluntarii oculos claudant lumini veritatis, quin excuſet eos lapſus, in quos in tenebris ambulantes impingunt, e contra ſcelera eorum nequiora facit, & venia magis indigna. Nequicquam igitur ſibi blandiuntur rati ſe crimine vacare, ſibique nullam reddendam eſſe rationem officiorum, quibus perfuncti non ſunt, eo quod illa ignorarunt; judicabuntur, atque in ipſos animadvertetur æque, ac ſi illa perfecte cognoviſſent, quippe voluntaria eſt ignorantia ipſorum, & effectus corruptionis cordis eorum. Verum quidem eſt, ignorantiam officiorum ſuo ſtatui inhærentium ex negligentia, & incuria ſe erudiendi minus criminoſam eſſe, quam hæc adfectata ignorantia, non ideo tamen innocentes efficit coram Deo illos, qui prætermittunt aliquod ſtatus ſui munus obire, eo quod non adhibuere curam, & diligentiam, quæ ipſis adhibenda fuiſſet, ut edocerentur, vel ut adipiſcerentur ſcientias, quæ ad illud recte obeundum erant neceſſariæ; ignorantia quippe illorum voluntaria eſt, ac jure cenſentur ignorare voluiſſe id, de quo edoceri neglexerunt. Si Deus, S. Auguſtinus ait, tibi ſceleri minime vertit, quod per invictam ignorantiam, & quod modus illud ſciendi tibi defuit, neſcis, minime injuriam tibi facit crimini vertens, quod per diſcendi negligentiam ignoras: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* La Font in eccleſiaſticis diſcurſibus pro 6. Dominica poſt Paſcha.

Ex hoc principio vides, quot ſequantur illationes, quæ infinitis prope mortalibus detegunt craſſam illuſionem, qua ſe innocuos, neque probro dignos putant; cum per ignorantiam, vel ſufficientis ſcientiæ defectum ſuis deſunt officiis. Ita Medici, ne vobiſmet os ſubliniatis, qui per ignorantiam ægrotis pharmacum propinatis, quod eorum mortem acceleraт, quanquam illud animo eoſdem curandi præſcripſeritis; ſtuduiſſe oportuerat, ac noſſe vim, ac temperamentum hujus pharmaci, antequam eodem uteremini: ignorantia veſtra vos reos mortis eorum conſtituit judices ne nimis rectitudini cordis veſtri, ac incorruptæ æquitati veſtræ confidatis, ubi de re agitur, cujus jura vobis ſunt explorata; ſi injuſtam fertis ſententiam in cauſa aliqua, eo quod non ſatis diligenti examine illam excuſſiſtis, quamquam vobis animus fuit recte judicandi, rei eſtis, ac reparare debetis injuriam, ac detrimentum, quo affectus fuit ille, quem per ignorantiam ſeu juris, ſeu facti damnaſtis; alteram quidem eo quod ſufficientem ſcientiam non habuiſtis, alteram vero quod non ſatis veritatem, & æquitatem conſideraſtis. Confeſſarii, Directores, Concionatores, qui ad animarum regimen, curamque evocati eſtis, ne ita confidatis puritati intentionum veſtrarum, neque zelo, quo animarum lucrandarum vos agi putatis; quidquid in miniſteriorum adeo præſtantium exercitatione peccatis propter regularum ibi ſervandarum inſcitiam, vobis imputatur; opus non erat, ut hanc aggrederemini provinciam, cum eam vobis perſpiceretis deeſſe ſcientiam, quæ ad illius munera adimplenda neceſſaria eſſe intelligitis: rei eſtis omnium malorum conſiliorum, quæ pœnitentibus præbuiſtis; ac ratio vobis reddenda erit malorum, quæ inde proficiſcentur: cur enim ſpartam hanc adornandam ſuſcepiſtis, quin haberetis ſcientiam, atque doctrinam, quæ ad id requirebatur, & ſine qua voſmet in interitus periculum adduxiſtis? *Idem.*

Studium, & ſcientia non æque deſiderantur.

Nemo non ſcire deſiderat; verum qui ſtudere cupiant, pauciores ſunt; primum enim illud plus curioſitatis habet, laboris minus; hoc vero plus laboris, & tædii, minus voluptatis. Etenim cum homini nihil acerbius ſit, quam ſe ipſum pati, ſequitur, ſtudium, quod ab exterioribus nos amovet occupationibus, ac nobiſcum morari cogit; neque labore carere, nec faſtidio. Attamen Deus hominum mentes ita diſpoſuit, ut ſtudium aliis quidem negotium ſit, aliis ſolatium; primis conſtantia opus eſt, ut laborem ferant; his vero ſapientia, ut quodcumque tædium prohibeant. *Ex libro, cui titulus: La conduite du Sage.*

Malis fines quos aliqui ſuis ſcientiis proponunt.

Quidam ſtudent ſolum, ut ſtudeant, quin alium ſibi proponant finem, quam novas veteribus cognitiones addendi. Hæc quædam eſt ſpiritualis avaritia: quemadmodum enim avaritia in hoc poſita eſt, ut opes opibus aggeras, quin eas aliis communices; ita hujus avaritiæ proprium eſt ſcientias ſcientiis agglomerare ad propriam tantummodo voluptatem. Hoc ſtudii genus excuſari poteſt, ſi ad animi dumtaxat ſolatium ſumatur; verum cum id muneris eſt noſtri officiique, cumque munus hoc ad alios referatur, id æque iniquum eſt, ac ſi os ſibi tantum, non autem cæteris membris vellet comedere. Alii vanitatis cauſa ſtudent, ut ſcientiam, ingeniumque oſtentent ſuum, quod ſtudium ſimile videtur dapibus quibuſdam, quæ magis inflant, quam nutriant, & quæ fumos dumtaxat ad cerebrum mittunt. Scientia, quæ per vanitatem tantum acquiritur, non niſi per vanitatem communicatur, atque hoc pacto communicata neque communicantis ſpiritum nutrit, nec recipientis. Alios etiam videmus iis rebus operam dantes, quæ cum eo ſtatu, in quo ſunt, nullam habent rationem; hoc ſane eſt tempus impendere, ut illius jacturam facere diſcatur; laboribus exerceri, ut ſtudium inutile fiat, niſi eodem utaris, vel ſi utaris, ridiculum. *Idem.*

Chriſtianæ conſiderationes de ſciẽtia, & ſtudio.

Mentem excolis tuam ſcientiarum diſciplina; verum quid proderit illam cognitionibus, luminibuſque replere, ſi animam tuam in tenebris, & errore reliqueris? Te doctum facere conaris, verum cui bono rerum naturalium ſcientiam conſectaris, ſi in ſalutis ſcientia nihil intelligis? Veterum auctorum lectione oblectaris, eorumque ſenſa intelligere geſtis; cur non potius audis omnium creatarum rerum vocem de Deo tibi loquentium? Multum didiciſti, ſi te ipſum vincere didiciſti; verum quid didiciſti, ſi nondum ferre, uti opus eſt, didiciſti? Quid percepiſti ex conſideratione cœlorum, elementorum, mixtorum, plantarum, animalium, ſi cordis tui qualitates percipere nequis? Difficiles enucleare quæſtiones noſti; at noſtin tuam expedire conſcientiam, ac rationes Deo a te reddendas? Plurima de divinitate aſſecutus es, verum illamne in ſpiritu, & veritate, uti oportet, adorandi modum es aſſecutus? Sed quantumcumque temporis ſpatium ſtudiis inſumpſeris, veniet mors, quæ plura te uno docebit momento, quam toto vitæ ſpatio diſcere potueris; poſtremum enim momentum illud æque doctos facit, ac beatos, vel miſeros. *Idem.*

De uſu ſcientiæ.

Doctrinam acquirere, multum quidem eſt; at doctrina bene uti, multo majus. In ſcientia inquirenda ſemper adeſt curioſitas, & in eadem acquirenda labor: ſed in utendo ſapientia requiritur, & aliquis ſcientiæ acquirendæ modum invenire potuit, qui eadem opportune utendi rationem minime invenit; difficilius quippe eſt mentis ſuæ luminibus bene uti, quam eadem acquirere. Naturalia lumina, acquiſita, & infuſa doctos efficiunt, ſed rectus horum luminum uſus re ipſa ſapientes facit. Sapiens autem ſcientia utitur, vel ut ipſe eadem oblectetur, vel ut converſetur cum aliis, vel ut doceat. Si primum, quæ actio eſt ſpiritus a nemine pendentis, & qui ſemet habet ſtudiorum ſuorum arbitrum, & ſocium, opus eſt hunc ita ſecretis naturæ vacare, ut conſcientiæ quoque, & cordis ſui vacet ſecretis; cui enim bono ſemper inter alienigenas peregrinari, ac nunquam domi ſuæ permanere; hoc eſt, cui bono ſemper per ſyderum, elementorum, plantarumque conſiderationibus inhærere, & nunquam animum revocare, ut te ipſum cogites? Cur inceſſanter aures adhibere, ut audias, quæ extra te fiunt, neque adhibeas, ut audias, quid in anima tua dicatur de te? Sin autem ut converſetur, evitet vanitatem ſpiritus, qui ſeſe oſtentare, & in cœtibus niteſcere cupit. Sin denique ut doceat, habeat opus eſt mentem fallacibus omnibus opinionibus expeditam; metuendum enim eſſet, ne eos, a quibus auditur, erroris ſui, potius quam veritatis participes faceret; cumque hominis curioſitas talis ſit, ut potius oculos figere velit in cometem radiatam, & ominoſam, quam tot ſydera per noctem fulgentia; tanta quoque illius infelicitas eſt, ut facilius capiatur errore, qui in docentis ore nitet, quam tot veritatibus, quæ in ſapientum libris emicant. *Idem.*

Scientia ad virtutem aſſequendam eſt utilis.

Veritates aliæ naturales ſunt, aliæ morales, aliæ chriſtianæ. Hic autem ordo eſt a Deo conſtitutus, quod primæ illæ mentem ſecundis, hæ vero tertiis diſponant, utpote cum maximi momenti ſint, majores & in docente, & in diſcente diſpoſitiones requirunt. Itaque tantum abeſt, quod rerum naturalium cognitio, ars ratiocinandi, humanæque ſcientiæ habendæ ſint tanquam inutiles, ut ſpiritum excolentes illum illuminant; cumque ſpiritus magis illuminatus eſt, voluntas facilius inflammatur ad acquiſitionem boni, & exercitationem virtutis, quæ eſt adeo conſentanea rationi; ac tandem moralium veritatum cognitio apta eſt diſpoſitio ad chriſtianas veritates recipiendas, guſtandaſque, quarum melius cognoſcitur pretium, meliuſque neceſſitas intelligitur. Quamobrem naturalium ſcientiarum ſtudium non ſolum eſt honeſta occupatio, verum ad

hæc honeſta quoque eſt ad virtutem diſpoſitio, quæ nobis aperit mentem, ut facilius veritates ad ſalutem neceſſarias comprehendamus. *Auctor Anonymus.*

Inutilitas ſcientiarum quarum finis non eſt ſalus.

Pleraque eorum, quæ diſcimus, quid proſunt homini ad æternitatem facto? Quid nos docent humanæ ſcientiæ, ſi iis adhæſerimus cognitionibus, quas inde percipimus? verba, tempora, facta, quæ ad nos minime pertinent, & quæ oſtendunt ſolum nos illa ſcire; quæſtiones inanes, & ſæpe ridiculas, vel noxias, ſpeculationes ſine fine, infinitas fictiones, atque mendacia, & nihil fere quod utile ſit, & quo ali anima poſſit. Quomodo vero e contra hominum plerique res norunt modo ita perturbato, atque confuſo, ut aſſertæ hujuſmodi cognitiones illos dumtaxat in errorem inducant? Confuſas tantum rerum ideas, ac plurimum vanitatis habeat opus eſt, qui jugiter in errore verſatur, & certum eſt vulgarem litteraturam utriuſque rei cauſam eſſe. Illi ipſi, qui melius ſciunt, quod ſciunt, & qui attentæ meditationis diligentia depurare conſueverunt cognitiones eas, quæ confuſione ſua aliorum mentem impediunt, non alium ſtudiorum ſuorum fructum percipiunt, niſi quod tandem intelligunt, intra quos arctiſſimos fines hominum cognitiones continentur. Se undequaque inviis circumſeptos abyſſis inveniunt, pedem proferre nequeunt, quominus aliquam difficultatem reperiant: cognitionum, quas aſſecuti ſunt, numerus exiguus eſt, eæque prope infinitis præjudiciis, & erroribus, a quibus ſeparari oportet, involutæ ſunt. Illud vero miſerrimum eſt, quod licet illæ præ cæteris magis mentem illuſtrant, non ideo tamen cordi ſatisfacere poſſunt. *Abbadias in libro cui titulus: Ars ſe ipſum cognoſcendi.*

Conſecratur ſcientia, ubi æternitatis intuitu ſtudetur.

Cum ſcientia propter æternitatem utimur, dicere poſſumus, minimas quaslibet cognitiones ad adeo ſublimem finem directas conſecrari: in temporalia bona nequaquam impendi ea, quæ æternitati eſſe poſſunt utilia; cor non inflari ſcientia; ſed perfici ſcientiam, eo quod cum ſublimibus cordis motibus conſentit; ac lumen ejus, quin mundi requiem perturbet, illius bonum, pacemque procurare. *Idem.*

De humanarum ſcientiarum vanitate, & incertitudine.

Ut intelligamus quam infirmæ, incertæque ſint hominis cognitiones, ſatis eſt inſpicere modicum fructum illum, & exiguam utilitatem, quæ ex labore, nec non illuſtrium ingeniorum meditatione percipitur. Cum tot ſæculis inſudaverint ad rerum omnium cauſas inveſtigandas, eo ventum eſt, ut nullius ferme rei afferre valeant rationem: adhuc in primis hærent lectionibus, de iis diſputant, quæ probata fuere, & quidquid docetur, in dubium accerſitur; veteres confirmantur errores, recenteſque roborantur; nihilque aliud eſt, quam circuitus, qui obruit, non erudit. *Auctor Anonymus.*

Quandoquidem Deus perfectum creavit hominem, eique ſciendi cupiditatem injecit, dicendum ſane eſt, ſcientiam aliquid eximium eſſe, ad cujus acquiſitionem ſit omnibus viribus contendendum. Si illius originem, effectuſque ſpectamus, radius eſt divini luminis, quod denſiſſima quælibet penetrans hæc talia detegit, qualia ſunt in intellectu; vel quod hominis facultatem organis impeditam attollens oſtendit illi ea, quæ ſub ſenſibus ejuſdem non accidunt. *Idem.*

Scientia in ſe aliquid eximium eſt.

Quod Sapiens Dei ſcientiam vocat, id proprie pietas eſt, & religio innixa cognitioni, quæ de ſupremæ hujus majeſtatis magnitudine habetur. Hæc divina eſt in origine ſua, quia a Deo proficiſcitur; in fine, quia nos adducit ad Deum; in objecto, quia ibi de divinis agitur. Nequaquam ſimilis eſt aridis, ſterilibuſque cognitionibus, quæ mentem replent, & alunt, quin ad cor uſque perveniant; ad quas nos curioſitas agit, vel trahit vanitas, aut ſpes mendacis exiſtimationis, quam apud mortales nos conſecuturos arbitramur. Principia illius ſolida ſunt, rationabilia, & quamvis ſublimitate ſua captum noſtrum excedant, ſemper tamen aliquam habent cum cordis noſtri affectionibus proportionem. Injurius eſſem illi, quam profiteor, facultati, ſi humanas litteras prorſus proſcribendas eſſe ſtatuerem; ſcio equidem hanc honeſtiſſimam eſſe exercitationem, atque pulcherrimum humanæ mentis ornatum. Verumtamen ubi nullum habeant cum Dei ſcientia vinculum, ubi divinis ſubjectæ non ſint veritatibus, ubi eo minime ſpectent, ut nos ad Dei cognitionem, amoremque minime adducant, fumo tantum mentem replere poſſunt, & efficere, ut hæc evaneſcat in cogitationibus ſuis, quemadmodum ſuperbis illis Philoſophis accidit, de quibus loquitur S. Paulus, quos funeſta ſcientia in deplorabilem cæcitatem, reprobumque ſenſum præcipites dedit. *Idem.*

Sæculi ſapientes ſcientia ſua abutuntur.

Damnandus eſt uſus, quem ſæculi ſapientes ſcientiæ ſuæ facere conſueverunt, in id unum intenti, quomodo mentem expleant inutili cognitionum mere humanarum congerie. Studia eorum non aliud ſunt, quam nugæ; Philoſophorum potius, quam Chriſtianorum more vivunt, & morales tantum virtutes habent in pretio. Bona fides, grati animi officia, aliaque honeſtatis principia ab illis integerrime ſervantur; ſed in eo morantur, quin ad chriſtianas virtutes exercendas gradum faciant. Religionem ſuis luminibus accommodant, quin lumina accommodent religioni, ac putent eruditi, honeſtique hominis vitam, ac mortem vitam eſſe, mortemque prædeſtinati. *Idem.*

Concordia ſcientiæ, & pietatis in S. Auguſtino.

Pro moroſa illa ariditate, quæ in hominibus adeo frequens eſt, novit D. Auguſtinus ſimul patheticam unctionem cum profunda eruditione, necnon tenerrimos pietatis ſenſus cum ſolidiſſimis religionis principiis conjungere. In omnibus operibus ejus nitet doctrina ad praxin redacta, a mente ad cor ipſum migrans; ratio, quam gratia illuminat; vigiliæ, ac ſtudia meditatione, precibuſque roborata; ille demum character, qui adeo belle Dei ſcientiam ab hominis ſcientia diſtinguit. Spargit ille jacula Dei amore ſuccenſa non ſine fortiſſimis Theologiæ argumentis. Manu eadem, qua hæreſim proſternit, fidei ſtatuit fundamenta. Ab affectibus ad documenta, ab animadverſionibus ad probationes gradum facit. Præſertim vero ibi rerum emicat eloquentia, quæ iis alitur argumentis, quæ tractat, & quæ, quin illis hæreat præceptis, intra quæ hominum ſubſiſtunt ingenia, omnes opes ſuas ex quadam mentis ſublimitate, & ex eminenti pietate depromit. *Abbas du Jarri in Panegyrico S. Auguſtini.*

Scientia per ſe pietati non adverſatur.

S. Franciſcus Saleſius in admirabili, quam de divino amore edidit libro, docet, ſcientiam non eſſe per ſe oppoſitam pietati; ſed e contra illi utiliſſimam, ac ſi utraque ſimul conjungatur, mirum in modum ſibimet ultro, citroque opem ferre: quamvis ſæpe contingat, ut in noſtram perniciem ſcientia prohibeat, ne pietas oriatur; quippe ſcientia inflat, ac ſuperbiam inſpirat, quæ omnibus virtutibus contraria eſt, atque totale eſt devotionis excidium. Heu! Malum hoc nimis eſt commune, atque omnibus in ſcientiis viſa ſunt præſtantiſſima ingenia funeſtum pati naufragium. Mali hujus egregiam habet hypotipoſin Apoſtolus, ubi loquitur de Philoſophis, quorum ſuperbiam Deus punire vult: *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Verum ne ignotis cauſis acceptum referamus hoc malum, quippe naturalis eſt effectus ſcientiæ; ac ſine Dei ſpiritu fieri nequit, ut qui aliis doctrina antecellit, ſimul habeat humilitatem. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillard.*

Scientia, quam habente debent Paſtores, & qui curam gerunt animarum.

Supponunt Doctores tanquam extra omnem dubitationis aleam poſitum, paſtori erudiendas eſſe animas ſuæ curæ concreditas, atque inde inferunt, paſtori ſciendas eſſe, atque diſtincte credendas quaſdam veritates, quas populus ignorare poteſt, illius enim docere intereſt, hujus doceri. At id ne doceri poteſt, quod ignoratur? Nubes, quæ tumida non eſt, imbrem nequit emittere, Scriptura inquit, & qui ſcientiam non habet, hanc communicare non poteſt: *ſi repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* SS. Thomas, & Bonaventura latius de hac diſſerunt obligatione, atque proferunt illa Oſeæ 4. verba, quæ Domini minas continent: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. P. Segneri de Parochorum officiis.*

Si Sacerdotes ſunt Dei viventis interpretes, ſi per os illorum explicat, & ſua promit oracula, facile eſt intelligere, quas turbas, & quod detrimentum in familia Domini inſcitia eorum parere poſſit. Fruſtra te Dominus vocabit, & de montium faſtigio, & de medio viarum, uti regum omnium Sapientiſſimus loquitur; fruſtra feret verbum ſuum, divinaque præcepta ſua in mundo; ſermo ejus myſteriis diffluens hominibus fere ignotus eſt; ſolum ſcientiarum lumen penetrare poteſt has umbras, hanc caliginem, hæc adorabilia ænigmata totam ſalutis noſtræ œconomiam complectentia: non igitur immerito Prophetæ, Apoſtoli, Patres, Concilia, Eccleſia, & ſynagoga rudes, ignavoſque homines aditu prohibent ſanctuarii: mirum tamen eſt, quod viri ſcientia præditi adeo parvo habeantur in pretio; num ergo Iſrael univerſus prophetat, quod Moyſes in deſerto cupiebat? Num mortales ultra doctrina, & eruditionis face non indigent? *Patru Oratione quarta.*

Præſtantia ſcientiæ Dei.

Loquor iſtic de ſcientia, quæ ædificat, & non inflat, quæ tantum voluntatem accendit, quantum intellectum illuminat; quæ praxi magis, quam ſtudio acquiritur; & quæ potius gratiæ, & operationis Dei quam humani laboris eſt fructus. De ſcientia loquor quam Scriptura vocat ſcientiam animæ, ſcientiam ſpiritus, ſcientiam ſanctorum, ſcientiam Domini, ſcientiam JESU CHRISTI, ſcientiam Dei, hoc eſt ſcientiam, cujus principium, objectum, fini Deus eſt. *Pater Valeſius epiſtola ſecunda de receſſu.*

Quam nocentes ſint, qui ſcientiam hanc negligunt.

Si Apoſtolus antiquitatis ſapientes fatuos, & inſipientes appellat, ſi fulminea denotat eloquentia in eos, qui Deum non aliter, quam ex operibus ejus ſoliſque rationis luminibus cognoſcere poterant; ſi ait illos inexcuſabiles eſſe, atque ingratitudine, & voluntaria cæcitate ſua ſibi iræ, pœnarumque æternarum theſaurum congregaſſe, quibus uteretur vocabulis contra fideles, qui majori habent in pretio inanes, malaſque cognitiones, quam ſalutis ſcientiam, qui profanorum librorum lectionem ſacris anteferunt, & qui ſe majorem conſequi honorem putant, eo quod ſapientum horum diſcipuli ſunt, ac imitatores, quam ſi JESUM CHRISTUM imitarentur? *Ex collectione orationum Gallicæ academiæ oblatarum anno 1673.*

Scientiæ duabus potiſſimum rebus commendantur, utilitate, quæ illinc hauritur, & gloria, qua ideo nomen noſtrum decoratur. Utiles ſunt, & glorioſæ, vel quia proſunt, ut noſmet ipſos agnoſcamus, vel quia ea docent, quæ ad Dei, ac noſtrummet ipſorum cognitionem nos adducere poſſunt: cogitationes omnes, quæ non ſolum neutrum horum gignunt effectum, ſed prorſus oppoſitum pariunt, non merentur nomen ſcientiarum, & qui poſſident illas, immerito doctorum ſibi vendicant gloriam. Itaque cum nulla percipi valeat utilitas, vel gloria ex inani, pravaque cognitione, & ex vituperabili, vetitaque curioſitate; cumque cognitiones hæ pro objecto neque Deum, neque hominem habere poſſint; immo etiam adverſentur ſcientiæ ſalutis, quæ in eo poſita eſt, ut Deum, & noſmet ipſos agnoſcamus; nonne liquet, eos omnes, qui hujuſmodi ſtudiis vacant, viros doctos non eſſe? *Idem ſerm. 4.*

Sola ſalutis noſtræ ſcientia munus noſtrum eſſe decet quæ ad id non conferunt, ſunt inutiles.

Licet Chriſtiano eſſe oratorem, poetam, mathematicum, philoſophum; verum non licet illi totum vitæ ſpatium in epigrammatis acumine, in periodi rythmica numeroſitate, in geometrica ſcheda, formiſque ſubſtantialibus inhærere; quaſi ad id natus eſſet, ut pedibus certis ſententiam concluderet, ut diſerte loqueretur, ut lineas duceret. Poteſt ille quidem in omni ſcientiarum genere virium ſuarum, ingeniique periculum facere; verum in hoc totum collocare vitam non debet. Sola ſalutis ſcientia totum illum poſtulat; etenim per hanc unam fieri beatus poteſt, & ſine hac aliæ quælibet ſcientiæ eidem inutiles ſunt. *Idem.*

Quam Inanes parumque ſolidæ ſint ſcientiæ prophanæ.

Poſt originale peccatum, quidquid homo didicit nil aliud fuit, quam confuſio, error, & tenebræ. Superbia, quæ lapſus ejuſdem fuit cauſa, fuit quoque ignorantiæ, & cæcitatis ejuſdem. Totis viribus adniſa eſt, ut hiſce cognitionibus ſublimem compararet exiſtimationem. Verum quotidie magis innoteſcit licet magnus ſit ſcientiarum apparatus, illis tamen modicum ineſſe ſoliditatis. Ingentes Bibliothecæ, quæ undecumque congeruntur, humanæ imbecillitatis, & vanitatis ſunt argumenta; & qui omni cura ſepoſita, bonaque ſine hæc opera ad examen revocant, quid ibi præter eorum, quæ dicta fuere, repetitiones, errorumque farraginem inveniunt? Materiæ ordo ſæpe immutatus eſt; at ſemper res eadem mutato nomine prodit. Quamvis ornatus ſit recens, inventio eſt vetuſtiſſima: veritas in fallacium principiorum ambagibus quæritur; conſtituuntur axiomata ſecum pugnantia, liquet omnem errori patere viam, & ne unam ferme, quæ directe tendat ad veritatem. Itaque poſt diuturnæ vitæ ſtudium, magnum habendum ſit, ſi permittat viris doctis hujus mundi ſuperbia, ut bona fide ſe nil penitus ſcire confiteantur. *Idem.*

Sciendi cupiditas homini inſita.

Deſiderium ſciendi ita ingenitum eſt homini, ut ſimulac voluntatis ſuæ uſum obtinuerit, doctus eſſe velit, idque in extremum uſque vitæ ſpatium perquirat. Ratio, quæ illum a brutis ſecernit, eum de cognitione in cognitionem adducit, perpetua illius curioſitati proponit objecta, efficit, ut nulli parcat labori id inquiſiturus, unde lumen aliquod & ſcientiam valeat mutari; ita ut cum homo ſit tantummodo, quia rationis eſt compos, ac ratione utatur, ut ſciat, homo eſſe videtur, ut doctus evadat. *Idem ſerm. 6.*

De ſalutis ſcientia, quæ vera ſcientia eſt.

Salutis ſcientia non aliud eſt, quam fundamentalium veritatum religionis, & cultus, quem Deo debemus, cognitio. Rationis iſta dux eſt, quæ illam in hoc deducit horrenti labyrintho, in quem errores noſtri hanc in ſingulas horas conjiciunt. Hæc quædam vocari poteſt cœlum inter, & terram communicationis via; rivus, per quem notiones divinæ in cor hominis fluunt; ſcala, per quam Deus in terram deſcendit, & homo aſcendit in cœlum. Verbo, ſalutis ſcientia, fides chriſtiana eſt. Qui crediderit ſalvus erit; hæc doctrina eſt, quam ſalutis auctor tradidit. *Idem.*

De ſcientiæ abuſu.

Operoſum non eſſet oſtendere, bona ſæpe in mala mutari, & uſum nonnunquam corrumpere potuiſſe, quidquid in eorum origne integerrimum, ac laude digniſſimum erat. Ita homo ſæpe propriis luminibus utitur, ut rationi ſuæ caliginem offundat, cognitiones, quibus mentem ſuam replevit, ad ea transfert, quæ naturæ ſuæ dedecent dignitatem. Hic ſcire quærit, ut ſuæ ſatisfaciat curioſitati, ille ut nominis gloriam acquirat; hic, ut ad honores obrepat, ille, ut opes congerat, tandem omnes fere, ut ſuam vanitatem, avaritiam, ambitionem expleant; & cum ſcientiam adepti ſunt, quod uſibus illam ſubjiciunt? Ita quemadmodum aquæ in ipſis fontibus ſaluberrimæ nonnunquam ex iis rivulis, qua defluunt, virus contrahunt; hæ cognitiones, quæ bonæ ſunt, ſi in ſe ipſis ſpectentur, malæ fiunt a poſſidentibus illas; qui iiſdem uti dumtaxat deberent, ut ſe facilius ad Dei cognitionem attollerent, ut adorabiles religionis veritates meditarentur, ut alios ad virtutem excitarent, ut ſe ipſos cognoſcerent, ut de officiis ſuis erudirentur, atque melius ſuſcepto munere, ac ſtatu ad quem a Deo evocati ſunt, perfungerentur. *Idem.*

Mera inſania, & non ferenda temeritas eſt ſcire velle.

Ecce quomodo de ſe ipſo loquitur Eccleſiaſtes; Rex fui in Jeruſalem, animumque appuli, ut diligenter ea omnia, quæ ſub ſole fiunt, inquirerem. Moleſtum hoc opus eſt, & licet ſapientias eos omnes ſuperaverim, qui me præceſſerunt, atque funditus ſingula fuerim perſcrutatus, inveni tamen, nihil eſſe niſi laborem, & afflictionem ſpiritus. Etenim quo plura ſcis, eo magis indignaris longe plura ignorari ac laboribus exerceris, licet ut plurimum irritis, ut ea diſcas, quæ neſcis. Inſignis ergo temeritas eſt putare, omnia ſciri poſſe, atque ad commentitiam Græcorum Encyclopediam contendere, quæ non aliud eſt, quam ſcientiarum ſimul veluti in orbe quodam concluſarum univerſitas. Non deſunt in terris, qui haberi volunt, tanquam omnia ſcirent, & qui nihil fere ſciunt, atque, quia nimis ſcire volunt, permanent ſemper in ignorantia ſua, primis dumtaxat rudimentis informatis earum artium, quarum corticem potius inſpexerunt, quam intus, & in cute perceperint. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*, ut S. Paulus Apoſtolus 2. ad Timot. 3. inquit. *P. Duneau.*

Scientia Dei & ſalutis una omnium maxime neceſſaria eſt, & præſtantiſſima.

Ex omnibus ſcientiis ea, quam Scriptura Dei ſcientiam vocat, ac ſcientiam ſalutis, una omnium maxime neceſſaria eſt, vel ut melius dicam, unica eſt, quæ ſit neceſſaria. Hæc illa eſt, quam Salvator in lege gratiæ docuit multo melius, quam Prophetæ in lege veteri, ac Patriarchæ in lege naturæ tradiderint. Voluit prima hujus ſcientiæ præcepta a S. Joanne Baptiſta præcurſore ſuo in deſerto, & ſecus Jordanem doceri; juxta Zachariæ patris ejuſdem vaticinium: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Luc. 1. Hoc ipſum toto deinceps prædicationis ſuæ tempore & ipſe docuit: & poſtquam in cœlum aſcendit, illinc Spiritum ſanctum ſuum miſit ad Apoſtolos, uti prædixerat, ab eodem de omni veritate erudiendos. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Spiritus ſanctus Apoſtolis non prophanæ philoſophiæ, ſed cœli, æternæque ſalutis tradidit veritates. Hæc eadem ſcientia in Scripturis ſcientia Sanctorum vocatur, quam infudit Deus Patriarchæ Jacob, de quo in Sapientiæ libro ſcriptum eſt: *Dedit illi ſcientiam ſanctorum*, quia eos, qui illam diſcunt, eademque utuntur, ſanctificat. Fidelium omnium intereſt, ſcientiam hanc præ aliis omnibus aſſequi, quia reliquis neceſſitate, præſtantia, dignitate antecellit. Verum nonne deplorabilis infelicitas eſt, in terris homines videre ſublimi ingenio præditos, atque in ſæculi hujus negotiis

tan-

tanta ſagacitate, ac induſtria donatos; in ſalutis ſcientia adeo rudes, & hoſpites eſſe? Non deſunt quidam univerſo terrarum orbi regundo pares, quibus exquiſitiſſimum eſt in politicis rebus acumen, qui impeditiſſima quæque facile expediunt, qui nihil conantur, quod illis e voto non cedat, & qui nihilominus vivunt in tenebris, quæ nihilo minores ſunt, quam Ægyptiæ illæ, in iis, quæ ad ſalutem, & bona, vel mala pertinent æternitatis. Hoc ipſum pro ratione de mundi ſapientibus dici poteſt, qui indeſinenter ſcientiarum ſtudiis vacant, & ea perquirunt omnia, quæ cœli ambitu continentur, ſed qui ſalutis, Sanctorum videlicet ſcientiam ignorant. Quæ in mundo fiunt, probe norunt; ſed juſtitiæ, & ſanctitatis vias, quæ Dei viæ ſunt, prorſus ignorant. Magis vero adhuc mirum eſt, alios videre, qui divinarum perfectionum, ac Theologiæ ſtudiis operam impendunt, & Dei vias ſcire volunt, ſimplici, ſterilique meditatione contenti, quin illud, uti opus eſt, quærant, quomodo in via ſalutis incedant. Sunt ex eorum numero, de quibus olim per Iſaiam Proph. c. 58. querebatur Deus: *Me de die in diem quærunt, & ſcire vias meas nolunt.* Singulis diebus quæſtiones de decretis, & providentia Dei proponunt; ſcire volunt, quomodo in mundi regimine, & erga prædeſtinatos, præſcitoſque ſe gerat; ſacratiſſimas docere ſcientias profitentur, quin fortaſſe didicerint unquam bene vivere, & ea, quæ docent, exercere. *Idem.*

Sapientes ſuperbi, & ſapiêtes humiles dum ſalutis ſcientiã inquirunt.

Vidiſtine unquam aliquem ex his ſuperbis ſapientibus? Hoc graviſſimum onus eſt, quod tellus ſuſtineat; ſemper ſuimet ipſorum pleni ſunt, intumeſcunt, gloriantur, ſibique rebus in omnibus plaudunt: cum interim verus ſapiens ſe ſe in propria cognitione humiliet. Hic de ſe nihil niſi mediocriter ſentit: publicæ exiſtimationis torrens, quo trahuntur, hunc ne concutit quidem. Didicit unicam ſcientiam illam ſalutis eſſe, reliqua inanes eſſe nugas: lumina hæc ad ſummum ſimilia eſſe igniculis, quos noctu micare vides, qui quin tibi præcipites greſſus oſtendat, in eoſdem te alliciunt, ſi mendacem illorum fulgorem ſequaris. Cur enim tanta efferamur ſuperbia ob leves aliquot cognitiones, quas nonniſi labore ſummo adepti ſumus, & quas nonniſi ſumma excolimus cura, quandoquidem nihil nobis proſunt; & cur ingratos imitamur agricolas, qui meſſium ubertatem laboribus dumtaxat ſuis referunt acceptam, quin cœlum reſpiciant, quod omnes eorum agros coronat? Altius repetenda eſt harum ſententiarum origo, ipſe videlicet Deus, qui eduxit illas de inexhauſtis theſauris ſapientiæ ſuæ nobis eas erogaturus, non ideo quidem, ut in adeo prophanos uſus impenderetur. Ingens nobis timoris aderit cauſa, ſi tot luminum ope adjuti ruemus in interitum. *Idem ſermo* 4.

Quotuſquiſque inter litteratos viros eſt, qui non appetat gloriam, quæ ſcientiam ſubſequitur, quin aliqua invidia vel aperta, vel latens eum urat, atque ad labem alienis offundendam meritis agat. Doctrinæ æqualitas, vel inæqualitas fere ſemper delicatæ ſagacitatis eſt cauſa; efficitque, ut intentos habeant oculos ad aliorum errores detegendos, eoſque ſibimet ultro citroque exprobrandos. Quemadmodum æmulatio non minima cauſa eſt, propter quam labor in ſtudiis ſuſtinetur, invidia ſe ſe immiſcet, ſi cui ex voto ceſſerit labor. Qui velit ingenio cedere, rarus erit. Ex quo litteris ſe ſe aliquis abdit, pudet illum fateri operam ludere, & qui uberem ex ſtudiis ſuis fructum ſperant aſſecuturos, vix ſe parem non retuliſſe meſſem fatebuntur. *Liber, cui titulus: Animadverſiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Quamvis inſitum ſciendi deſiderium mortalibus omnibus commune eſt, non ideo tamen in ſingulis par eſt; certum enim eſt, alios aliis vehementius hac teneri cupiditate, cumque maxima ſit earum rerum, quæ cognoſci poſſunt, varietas, neque omnibus eadem ſint ſtudia, eademque vis ingenii; hinc fit, ut alii libentius hujus quam alterius ſcientiæ ſtudio vacent, non ſolum eo quod privata acti utilitate hanc aliis præferunt, verum etiam quod ſuapte natura magis proni, & apti ſunt huic, quam alteri cuipiam facultati. Anima noſtra, S. Auguſtinus *Tract.* 36. *in Joann.* ait, nihil ardentius, quam ipſam veritatem deſiderat: *Quid enim fortius deſiderat anima, quam veritatem?* Sed quia non omnes veritates æquales ſunt, & aliæ aliis præſtantiores ſunt, ideo aliæ aliis impenſius appetuntur, ac pluris fiunt. Dicere etiam poſſumus, ſicuti eorum quædam nobis majori ſunt ad ſalutem aſſequendam auxilio, atque propius ad Dei pertinent cultum, ita inſigne eſſe Dei beneficium, ac prædeſtinationis indicium, cum ingenium noſtrum ultro in illas fertur, eas hac mente adipiſci conamur. *P. Duneau ſermone pro Dominica infra octavam Epiphan.*

De ſcientiarum abuſu.

Hujus loci non eſt ſermonem de abuſu ſcientiarum habere; non deſunt integri hujus argumenti libri, qui ſcientiarum vanitatem oſtendunt eo modo, quo pertractantur a pleriſque eorum, qui de illis ſcripſerunt. Quidam mendacium pro veritate docuerunt, ac ſe ipſos deceperunt, antequam alios deciperent; eruditiſſimus quiſque ſe ipſum fallere poteſt, quoſcumque conatus exerat, ut omnem errorem effugiat. Non deſunt alii, qui nimis procedere cupientes corrumpunt, quidquid in ſcientiis optimum eſt, inani acumine, quod nihil habet ſolidum, ac mentibus dumtaxat crucem figere poteſt. Alii neque methodum habent in iis, quæ docent, neque facultatem ſenſus ſuos explicandi, qui tamen redargui non poſſunt, quaſi nequam, & improbi ſint, ſi bene operari putent, quoniam errores ipſorum ſunt tantum in intellectu, non autem in voluntate. *Idem.*

Scientiæ utilitas ad vitæ civilis munera obeunda.

Neceſſe eſt magnam adoleſcentibus ideam adſtruere ſtudiorum, quibus vacare debent; & ut impenſius illis operam navare cogantur, oſtendere opus eſt, hoc modo illos pares fieri poſſe iis obeundis muneribus, ad quæ ipſos ſuum genus, & nobilitas vocat, vel quæ aliquando vel opibus, vel meritis ſuis aſſequi poſſunt. Docendi ſunt harum dignitatum, quæ illos manent, officia mentem requirere ſcientiis excultam; & fieri non poſſe, ut aliquis cum honore, & gloria ſolius naturalis luminis ope ſuum munus adimpleat; ſatis non eſſe honeſtum eſſe virum, piumque, ut digne eodem valeat perfungi; ſed opus eſſe, ut doctrinæ lumen accedat; quod ſi deſit, plurima committuntur errata, quæ inſignem reipublicæ afferunt injuriam, & quæ errantem bonorum virorum contemptui objiciunt. Denique cuicumque conditioni deſtinati ſint, ſcientias illis eſſe omnino neceſſarias, & nulli ferme rei utiles eſſe poſſe, niſi ſtudiis operam dederint. *Liber, cui titulus: De puerorum educatione, a Joan. Pico editus.*

Scientia eccleſiaſticis neceſſaria.

Qui eccleſiaſticum ſtatum amplectuntur, ſine ſcientiarum ope ne ad minimos quidem gradus, & dignitates illius contendere poſſunt. Eccleſiaſticus haberi debet tanquam inexhauſtus doctrinæ fons, cum fideles non magis exempla, quam conſilia ejus ſequi debeant; qui ſi erudiri, & edoceri non curat, nequit illis ea communicare lumina, quæ ab ipſo expectant. Denique ſi nihil quocumque in ſtatu poteſt eſſe turpius, quam illius munera ignorare, iiſque perperam fungi, eo quod ex ſcientiis nequaquam illa hauſerit lumina, quæ ſunt ad id neceſſaria; quid cogitari, & quænam concipi poteſt idea de eccleſiaſtico, cui nullum eſt ſtudium, nulla cognitio? Quandonam ille digne obire poterit munera neceſſario huic ſtatui inhærentia? *Idem.*

Scientia ſine pietate pro Dei cultu nihil prodeſt.

Eſto, aliquis ſit ſcientiæ pelagus, nihil eum fallat, divinarum Scripturarum intelligentiam aſſecutus, loquatur, ſcribat eo modo, quo ille poteſt, qui omnes hujuſmodi cognitiones adeptus eſt. Nihilominus ſi cor ejus aridum, vacuumque fuerit, ac deſtitutum ea fide, quæ principium eſt virtutum omnium, omniumque ſanctarum qualitatum, arbor eſt, quæ nullum feret fructum, æque ac ſi eſſet mortua &c. *Abbas Trappenſis in moralibus animadverſionibus in S. Lucæ evangelium.*

Modus chriſtiane ſtudendi.

Homo ſtudioſus ſcientiis vacabit, ac inde voluptatem percipiet, ſed nunquam inordinata aviditate ſeu in ſtudiorum electione, ſeu in tempore in eadem tranſmittendo modum excedet; paratus iis relinquendis, ſimul ac alio evocetur a Deo, vel alteri cuipiam ſtudiorum generi amplectendo, ſtatim ac ſperabit ſe poſſe aliquid uberius ad Dei gloriam collaturum. Nullum unquam vocabit ſtudium, quod in nugis, & ſimplici curioſitate conſiſtat, ac multo minus illud, quod mentem mollire, fœdare imaginationem, & animum corrumpere valeat. Neque ita illi inhærebit, ut omnia, Deumque ipſum negligat, vel ut reliqua oſcitanter, ac feſtinanter peragat eo celeriter reverſurus, quo novitas, vanitas, immodica ſciendi cupiditas, cui ſe mancipavit, eum trahunt. Verbo, divinæ voluntatis efficiendæ voluptas ipſam ſtudii voluptatem ſuperabit. Hoc eſt chriſtiane ſtudere; aliud quodlibet ſtudium, ſin minus malum eſt, ſaltem imperfectum eſt. *P. Surin in dialogis ſpiritualibus tomo tertio.*

TEM-

TEMPLA.

MATERIALES ECCLESIÆ.

Modeſtia, ac reverentia ibi ſervanda. Templorum dedicatio, &c.

MONITUM.

Sanctorum locorum profanatio, & modica illa reverentia, qua fidelium plerique Deum colunt in templis, peccatum eſt adeo enorme, ſimulque adeo vulgatum, ut concionatores nunquam parem zelum afferre poſſint, ut morem hunc adeo nefarium evertant. Scriptura, ſancti Patres, Aſceticique omnes referti ſunt & invectivis, ut tantum hoc ſcelus, ſi fieri poteſt, convellant, & adhortationibus ad ſervandam modeſtiam, reverentiam, atque attentionem ſacris myſteriis, quæ celebrantur in templis. Quamobrem operoſum non erit hoc in argumento uberem rerum copiam invenire, atque in eo omnis cura noſtra verſabitur, ut ea, quæ aptiſſima ſunt, eligamus.

Primum animadvertendum eſt, quemadmodum in eadem concione conjungenda eſt reverentia locis adeo venerabilibus debita cum eorumdem profanatione, & criminibus, quæ ibi patrantur, a nobis collecta fuiſſe ea omnia, quæ aptiora cenſuimus ad perſuadendum fidelibus cultum, atque pietatem, quam ibi quiſque præ ſe ferre debet, & ad ciendum horrorem illius irreverentiæ, quæ paſſim illic ab omnibus adhibetur.

Secundo quemadmodum in templorum dedicationibus, feſtiſque diebus, quibus auguſta hujus celebritatis ſolemnis inſtauratur memoria, hoc etiam attingatur argumentum reverentiæ deinceps in ſacris iis locis ſervandæ, nequaquam ſejungenda ratus ſum hæc duo argumenta doctrinam eamdem complectentia.

Tertio, cavendum eſt diligentiſſime, ne cum deſcribuntur mala, quæ in templis fiunt, dum interim ſacra celebrantur myſteria, aliquis adeo explicitis characteribus deſignetur, ita ut quæ dicuntur, ad alios quoque transferri poſſe minime videantur, ne, cum contra publicum vitium declamas, alicui peculiariter ſcandalum afferatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex hujus argumenti concionum partitio, & ſtructura.

I. *CUM videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto &c.* Matth. 24. Hæc deſolationis abominatio viſa eſt in everſione, ac profanatione templi Jeroſolymitani, ſed quotidie videtur adhuc in illis abominationibus, quæ committuntur in templis, quæ loci ſunt ſancti; ubi inter myſteria, quæ celebrantur, quotidie offertur adorabile Dominici corporis, ſanguiniſque ſacrificium; ita ut eorum dignitas magis nequeat commendari, quam dicendo, hunc ſanctum eſſe locum, ubi diebus ſingulis Deo cœli, ac terræ ſacrificium offertur.

In religione autem chriſtiana tria ſacrificiorum genera offeruntur, quæ rationem habent cum illis, quæ olim in veteri lege offerebantur. Primum eſt laudis ſacrificium, quo debitus Deo honor defertur; alterum eſt ſacrificium propitiationis, per quod remiſſio peccatorum obtinebatur, quod hodie piaculare pœnitentiæ ſacrificium poteſt appellari; tertium ſacrificium impetrationis, quod ad beneficium aliquod a Deo impetrandum offerebatur. Templa vero loci ſunt, ubi hodie tria hæc offeruntur ſacrificia, vel illud ſaltem, quod hæc omnia complectitur, & eſt adorabile Dominici corporis ſacrificium: illud vero deplorandum eſt, quod Chriſtianorum plerique in eo faciant abominationem deſolationis propter eas, quas ibi committunt profanationes. Hoc autem in tribus hujus concionis partibus viſuri ſumus.

Pars Prima. Eccleſia locus eſt, ubi Domino laudis ſacrificium offertur, & ubi holocauſto omnium, quæ extiterint unquam, perfectiſſimo honoratus. In veteri lege non licebat quolibet in loco offerre Deo ſacrificia; & quanquam totus hic magnus terrarum orbis eſt veluti templum Dei, hic tamen peculiarem ſibi locum delegerat, quem tamquam domum, templumque ſuum reſpiciebat, & ubi magis manifeſta præſentiæ ſuæ præbebat argumenta. Locus autem, quem modo eligit, noſtra ſunt templa. Ibi ille adeſt, non per immenſitatem dumtaxat, verum etiam per realem corporis ſui præſentiam. Sed videte, quænam ibi committitur abominatio, quandoquidem fidelium plerique, quin illuc accedant Dei magnitudinem veneraturi, eo confluunt propriam oſtentaturi. Videte, quomodo aureis vecti curribus illuc accedant, magna cum pompa magnaque ſervorum caterva ſtipati, quomodo illic etiam gradus aliquis, primaque appetuntur ſubſellia. Nunquid illuc potius ſe conferunt homines honores percepturi, quam Deo delaturi? Videte, quo apparatu illuc ſe conferant matronæ, quo illic niteant ornatu comptæ, quin ſe ſe coram divina majeſtate proſternant; neque enim Dei magnitudinem aliter, quam ſubmiſſione noſtra veneramur. Nunquid mihi ob oculos veſtros hoc in loco objicienda ſunt Ethnicorum, ac idololatrarum exempla, ut inde, quænam divinæ majeſtati debeatur reverentia, intelligatis? Quanam humilitate in fictorum numinum ſuorum delubris illi ſe ſe continebant? Heu! Si aliquis infidelium eorum, quibus fides noſtra annuntiatur, templa noſtra ingrederetur, & poſtquam chriſtianæ diſciplinæ ſanctitatem admiratus fuiſſet, videret, quo pacto noſmet gerimus cum illo, qui ejuſdem eſt auctor, & mala conſpiceret, quæ in templis committimus, nonne exclamaret: Hi Chriſtiani nobis illudunt, nihil eorum credunt, quæ dicunt; ac ſatis eſt videre actiones eorum, & modum, quo eum, quem nobis prædicant, venerantur. Eheu! cogitemus quomodo illum Angeli revereantur, & Seraphim alis ſuis ſibi contegant faciem &c.

Pars altera. Locus eſt, ubi offertur Deo ſacrificium propitiationis, non aliud videlicet, niſi quod in aris immolatur, illud ipſum, quod in cruce immolatum eſt, cujus virtutem complectitur, & meritum applicat nobis. Hinc fit, quod ibi eadem cum reverentia adſtare debemus, iiſdemque doloris ſenſibus acti; quippe in templum venimus veniam impetraturi, & hanc eamdem propitiationis victimam oblaturi. Sed heu! quanam immodeſtia eidem adſiſtimus? Mortales huc confluunt, ut videant, & videantur; ubique non ſine ingenti ſcandalo nuditates quædam oſtentantur. Dicere audeam? Ad quid me cogis flagitioſiſſima ſæculi noſtri corruptio? Illuc afferuntur oculi adulterio pleni; undequaque, & in omnia objecta oculis circumferuntur; & ut verbo me expediam, illic, ubi noſtra expianda ſunt crimina, veteribus recentia adjicimus, & majora &c.

Tertia pars: ibi ſacrificium impetrationis offertur: eo noſmet conferimus a Deo gratias petituri, templum enim domus eſt precum & orationis, *Domus mea domus orationis.* Matth. 21. & Marc. 11. Hoc autem in loco, qui huic miniſterio deſtinatus eſt, quanam attentione, quanam adſtamus reverentia? Quot mentis evagationes? Quo abeunt cogitationes, &c.

1. Pietas efficit, ut conveniamus in templum Dominum adoraturi, ibique cultum Deo cœli, ac terræ II.

adhi-